

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8603, [1] - -

PUBLIC DOMAIN

CIM 7/ 8603

Niedersächsische Landesbibliothek Hannover

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8603, [2] - -

PUBLIC DOMAIN

309

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8603, [3] - -

PUBLIC DOMAIN

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8603, [4] - -

PUBLIC DOMAIN

ACCURATISSIMA

ORBIS ANTIQUI DELINEATIO.

Sive

GEOGRAPHIA VETUS,

SACRA & PROFANA.

Exhibens,

Quicquid Imperiorum, Regnorum, Principatuum, Rerum-publicarum, ab initio rerum, ad præsentem usque mundi statum fuit.

Præmissa est

INTRODUCTIO ad GEOGRAPHIAM ANTIQUAM.

Qua

ORBIS VETUS, GENTIUM MIGRATIONES, populorum Origines & quicquid Historias illustrare potest, breviter refertur.

Authore

GEORGIO HORNIO
Historiarum in Acad. Lugduno-Batava, Professore.



AMSTELODAMI,
Prostant apud JOANNEM JANSSONIUM.

cIↃ IↃC LVII.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8603, [5] - -
PUBLIC DOMAIN

I N D E X.

Tuſcia vetus.
Latium.
Græcia major vel Tellus Italia.
Sardinia & Corſica, Eubœa, Rhodus, Chios, Lemnos, Lesbos, Samus, Icaria, &c.
Sicilia vetus.
Pannonia vetus, & Illiricum.
Dacia & Mœſia antiqua.
Pontus Euxinus.
Thracia vetus.
Peregrinatio D. Pauli.
Germania vetus.
Europa Celtica.
Britannia Anglo-Saxonica.
Cimbria vetus.
Imperium Romanum.
Lumen Hiſtoriarum per Orientem.
———— per Occidentem.
Tabulæ Peutingerianæ in 4. partes.
Imperium Caroli Magni.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8603, [6] - -
PUBLIC DOMAIN

INTRODUCTIO AD GEOGRAPHIAM ANTIQUAM.

QUanta GEOGRAPHIÆ, cum in universa humana vita, tum imprimis ad recte intelligendas gentium Historias, sit utilitas, quanta necessitas, & à multis jam copiosè dictum, & adeò cunctis exploratum est, ut tempore, & tua, LECTOR AMICE, patientia abuteremur, si quicquam in eam rem adderemus. Quare seculi nostri cultus & perfectio, etiam in hoc elucescit, quod majores, quàm unquam, sumtus, in Geographia excolenda fiant, & ipse terrarum orbis, quanquam immensus & inexplicabilis videatur, brevibus chartis artificiosa manu constrictus, se nobis conspiciendum, quasi coram & ex propinquo, exhibeat. Quæ tam nobilis voluptas est atque illustris, ut altissimæ mentes, postquam cuncta exhauserunt artium & ingenii monumenta, in hoc totius orbis dulcissimo portu consenescant & incredibili amœnitate pascantur. Delectant nos sylvæ & prata floribus variegata, lene murmur salientis aquæ & vastæ montium moles; tum oppidorum urbiumque, quæ commeantibus passim occurrunt, deliciæ: quid universum hoc, oculis in pulcherrima tabella subjectum? quid illa tot gentium ac provinciarum magnifica nomina? quæ nemo intueri absque memoria tot mirabilium facinorum, quorum Historia testis, potest. Neque vero quicquam homine, erecti animi, dignius est, quam suam sedem, id est hoc, quod cœlum terramque vocamus, velut propriam domum, cognitum & perspectum habere. Humiles mentes patrio tantum solo, velut testudines, affixæ sunt, nulla rerum exterarum cura. Quo quisque major atque sublimior, eo sese longius per amplissima terrarum & Oceani spatia, sive peregrinando, quod periculosum, sive legendo & discendo, effundit. Talibus non ulla incognita gens, non populorum diversi mores. Quicquid ullibi terrarum, quicquid hominum, vel Sol Oriens salutat, vel occiduus deponit, quicquid uterque mundi vertex complectitur ambitu suo, ipsi capacissima mente evolvunt. Ita ejusmodi viris, Garamantes æquè noti ac patrius fundus, & de extremis hominum Indis, eadem loquuntur felicitate, ac si in vicinia habitarent. Quod ingens, quod incomparabile donum mortalibus divina indulsit providentia.

Quare JOH. JANSSONIUS, cum varias hactenus Geographiæ & antiquæ & recentioris partes in publicum emisisset, cæterum adhuc desiderari ANTIQUAM GEOGRAPHIAM in unum corpus, meliori, quam hactenus, ordine, redactam, intellexisset; etiam illi labori curas cogitationesque suas admovit, & mea qualicunque opera & consilio subinde usus, tandem ad optatum finem perduxit. De cujus nunc operis instituto, paucis præmonendus es, LECTOR BENEVOLE, ut quare eo ordine disposita & absque prolixis commentariis publicata sit, ac quem usum in antiqua Historia præbere possit, rectius intelligas.

VETEREM GEOGRAPHIAM vocamus, quæ Orbem terrarum, qualis à prima Creatione, ad declinantis jam & fatiscentis Romanæ Monarchiæ tempora fuit, describit & ob oculos in tabulis ponit. Quare Ptolemæi limites & angustias longè excedit, ac omnia distinctius, per tempora & rerum humanarum vicissitudines, disposita, tradit. Primo igitur spectandus globus qualis in Creatione fuit, ex terra & mari conflatus, fluminibus irriguus, sylvis vestitus, gramine floribusque versicolor, montibus turgidus, vallibus depressus, & ut littora, hinc inde, ac promontoria, vel sinuantur vel eminent. Quæ NATURALIS Geographia vocari potest. Nullæ adhuc urbes, indistincti limites, omnia nuda & ut à DEO condita, occurrunt & quæ situm suum ac posituram, per tot secula, constanter retinuerunt. Quanquam enim, sive terræ motu, sive inundationibus, nonnullæ regiones aliquantulum immutatæ videantur, sicut, Sicilia, Italiæ, cujus quondam pars, & Britannia Galliis, avulsæ putantur; exigua tamen illa sunt & nulla fere, si cum ingenti, quæ immota perstitit, mole, comparationem instituas. Non enim eorum probare possumus opinionem, qui totius Orbis faciem penitus, tot seculorum lapsu immutatam, & terræ centrum loco motum, credunt. Quod constantiæ, quam DEUS naturæ indidit, repugnant, & sacris literis, quæ terram immobiliter fundatam asserunt, contrarium est. Nam quod dicunt, maria olim fuisse, ubi nunc sit continens, & mediterraneas regiones, quæ olim navigabiles, quod navium reliquiæ hinc inde repertæ, & ex terra effossæ, comprobent; id magnam quidem inundationem,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8603, [7] - 1
PUBLIC DOMAIN

non vero totam loco terram dimotam, ostendit. Nimirum regiones mari propiores, & humili situ, ruptis quasi Oceani claustris frequenter stagnantur. Non mirum itaque in ejusmodi diluvio, naves aliquot, terris & fabulo absorptas, ac post multa demum secula repertas, cum exclusus aër à putredine ligna diutissimè conservet. Sed qua ratione in altissimas alpes navis cum anchoris delata? Nam talem aliquando ibi repertam, Sebastianus Munsterus, vir diligens, memoriæ prodidit. Possumus hic ad fidem authoris provocare, cui fortasse falsa relatione impositum. Minimè enim credibile, tantam fuisse aquarum altitudinem unquam post Noachicum diluvium, ut ipsas alpes superarint. Noachi autem ævo nullæ adhuc naves & anchoræ. Non igitur, ubi nunc alpes sunt, ibi aliquando Oceanus fuit. Cæterum postquam ita terræ naturalem posituram, & velut prima lineamenta, consideravimus, sequitur ARTIFICIALIS descriptio, ab hominibus eorumque crebra mutatione, profecta. Et huc nomina locorum, fluviorum, fontium, regionum, montium, sylvarum, populorum, pertinent. Quæ pro temporum varietate, alia atque alia, fuerunt, & semper mutationi obnoxia sunt. Ita ut hæc Geographiæ pars, instar Protei, faciem frequentissimè mutet. Quod si antiqua recentioribus contendas, manifestum erit. Quare si aliter, quam secundum temporum successionem & vicissitudinem tradatur, confusa omnia erunt & indigesta. Quod illi faciunt, qui antiqua novis, obsoleta recentibus, sine ordine, sine cura, permiscent & tum sese optime rem gessisse putant, cum chartas multis nominibus, etiam quæ nihil ad propositum, stiparunt. Hoc vitium in hac ANTIQUA GEOGRAPHIA evitare, quantum fieri potuit, studuimus. Igitur primo Universalis tabula, totius antiqui Orbis faciem, exhibet; ut quousque progressa hominum notitia fuerit, quam late sedes ipsorum extensæ, quid cultum, quid inhospitum, intelligatur. Ex ea patet, angustis admodum limitibus, antiqui Orbis circumscriptos fuisse terminos. Desinere extra Herculis columnas naturam arbitrabantur, ac Atlanticum Oceanum propter tenebras & vadosum mare, innavigabilem esse. Ne Africæ quidem Periplus, versus austrum, cognitus, quanquam Hanno Carthaginensis & Eudoxus, eam à se circumnavigatam, tradiderint, sed ut videtur, vel ipsi id commenti erant, vel propterea quod incredibilia referrent, fides ipsis derogata. Asiæ fines non minus incerti, & ad Gangem fere subsistebant, ultra cujus tamen fontes, non adeo longe, usque in Oceanum extenditur. Ad boream multa quidem de Scythis tradunt, sed non minus fabulosa, ac unus fere Pytheas Massiliensis exteriora Europæ lustraverat, male habitus propterea à Strabone, cum tamen pleraque ejus cum veritate & recenti experientia, convenire deprehendantur. Ita ut vix dimidiam Orbis partem cognitam antiquitas habuerit & in ea, si Græciam cum Italia excipias, ac vicinas ipsis regiones, reliqua titulo Barbariæ, parum explorata, multisque contaminata erroribus erant, ut ex Ptolemæi tabulis patet. Fuerunt quidem, qui de insula in mari Atlantico, Africa majore, aliquid muginarentur, sed excisa Karthaginensium Republica, cum desitum esset in illo Oceano navigare, etiam fides ejus rei penitus extincta fuit. Post universalem antiquæ Geographiæ notitiam, particulares descriptiones sequuntur in Orbem, qualis ante & post diluvium fuit, divisæ. Quia diluvio universa quasi natura, quatenus hominum industria exculta fuerat, periit. Quare ORBIS ANTE DILUVIUM primo omnium, in Geographia considerandus venit. Cujus partes sunt, Typographia Paradisi & regionum ac urbium antiquissimarum, quarum non nisi pauca nomina, ex illo velut naufragio, ad nostram memoriam enatarunt. Nullæ enim ante diluvium conditæ à scriptoribus urbes, præter *Chanochiam*, apud Mosen, & *Ioppen* apud profanos, commemorantur. Quis vero dubitet, adeò jam aucto genere humano, plurimas regiones, imo totam pene Asiam & Ægyptum, urbibus, oppidis, pagis, ante diluvium fuisse exornatas? Floruerunt enim jam tam omnes pene artes Mechanicæ & civiles; magna erat pastoritiæ & agriculturæ cognitio ac usus; incredibilis in eruendis metallis peritia, industria ac pallor; tum ipsi homines delicati & in omnes voluptates, imprimis fastum, insolentiam, Tyrannidem, effusi. Quæ omnia ad magnificas structuras incitamento fuerunt. Ac si quis mente concipere velit, qualis ante diluvium terrarum facies fuerit, is sibi totidem post diluvium secula proponat, & inde, de præteritis, conjecturam faciat. A creatione ad diluvium, annos mille sexcentos quinquaginta sex effluxisse, Moses author est. Totidem à diluvio usque ad Ezechiæ mortem, qui Nebucadnezari ferè coævus fuit. At illa ætate, orbis antiquus, maxima sui parte, frequentissimis urbibus, oppidis, pagis, excolebatur. Quare non minor ante diluvium cultus fuit, præsertim cum illi primi mortalium, & longiore vita, & ingenio sagaciore, prædita essent. Sed qualiscunque tandem orbis primævi positura fuerit, cum omnem ejus memoriam cœlestes aquæ abstulerint, frustra jam de illo solliciti sumus. Nisi quis ex Sethi columnis, quas se in Syria superstites adhuc vidisse Josephus, incredibili audacia, vel futili credulitate, refert, aliquid erui potuisse existimet; quod quam vanum sit, nemo non videt; vel ex Græcorum monumentis, describentium urbes ac regiones ante Ogygis & Deucalionis, id est Noachi, diluvium, de situ orbis illius antiquissimi, certiora tradi posse putet. Verum obstat Græcorum futilitas, qui ante Olympiadum

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8603, [8] - 2
PUBLIC DOMAIN

dum æram, vix quicquam explorati habent, & graviſſima Varronis & Cenſorini cenſura; qua, ut caveamus nobis à fabuloſo illo ævo, curiosè monent. Quare ad DILUVIUM accedimus, ſub quo, qualis rerum, & quam horrenda facies fuerit, cum omnia profundiſſimis aquis tegerentur, etiam altiſſimi montes, una ſupernatante cum paucis animalibus & hominibus arca lignea, facilè animo concipere eſt, & pictores, penicillo ſuo, ad vivum exprimunt. Tum igitur univerſa Geographia, duobus quaſi vocabulis abſolvebatur, AQUIS & ARCA. Nihil enim præterea in globo terreno conſpicuum erat, aut ſupereminens. Decreſcentibus aquis, fœda illuvie, & luto, hominum pariter & animalium cadaveribus putrido, omnia erant obſita. Noachus autem, cum arca ſua, altiſſimis Armeniæ montibus, quos Scriptura *Ararat*, Græci *Gordyæos*, Perſæ *Agri*, Armenii *Meſſe Saur*, Epiphanius *Barin* vocat, impactus aliquandiu hæſit, cum nondum editiora, metu aquarum, deſerere auderent. Donec divino alloquio, & Iridis ſacramento, confirmati, in campeſtria Syriæ deſcenderent, relicta in montibus arca, cujus etiamnum conſpici reliquias, aliqui credunt; Saracenica autem Hiſtoria refert; quicquid ejus rei fuerat, ab Omare Chalifa, ablatum. Structam tum à Noacho urbem *Tſemanina*, Judæorum & Arabum monumenta, neſcio quo argumento, tradunt. At non conſtat, talem unquam fuiſſe urbem, vel ſi fuerit, à Noacho ſtructam probandum foret, neque ſatis firmum, ex ſolo hominum, qui intra arcam, numero, pro urbis nomine, argumentum. Vulgaris opinio eſt, habitaſſe Noachum circa Damaſcum Syriæ, ad Libanum montem, qui tractus adeo amœnus eſt, ut eum quatuor Paradiſis, Orientales adſcribant. Structæ igitur tum novæ paſſim, per Provincias, à Noachi poſteris, urbes; quas inter antiquiſſimæ referuntur, in Ægypto *Tzoan*, in Chananæa *Chebron*, in Chaldæa *Babylon*. Neque dubitari debet, multas, quæ ante diluvium fuerant, ex ruderibus inſtauratas & expurgatas, denuo habitari cœpiſſe. Non enim penitus omnia ædificia, præſertim ex ſaxo, qualia fuiſſe quis ambigat? diluvio abſorpta ac diruta, cum conſtet, ſub undis, etiam longo tempore, talia perdurare ſolere, ut *arx Britannica* ad Rheni antiquum oſtium, *Arcona* Rugiæ, & *Wineta* Vandaliæ, docent, quarum (ut alias præteream) magna adhuc cadavera, ſubinde conſpiciuntur. Quare multas, quæ ante diluvium conditæ fuerant, urbes, poſt diluvium denuo eruderatas & habitatas fuiſſe, crididerim, ac fortaſſe etiam primæva nomina, in uſum revocata, ſicut homines antiquitatis ferè tenaces ſunt. Non enim ſolius Ilii illud privilegium fuit, quod poſt pluria ſecula, idem ſemper nomen, quanquam funditus exciſa, poſtliminiò receperit. Atque hoc imprimis, de famoſa illa Joppe, intelligendum, quæ, ut jam dictum, una ex illis, ante diluvium ſtructis, fuiſſe refertur. Cum vero auctum jam magna ſobole, & multiplicatum fuiſſet genus humanum, nova terrarum diviſio inſtituta eſt, ac pro ternario filiorum Noachi numero, univerſus orbis, in ASIAM, AFRICAM & EUROPAM diſtributus. Non quod illa, jam tum, nomina fuerint, diu poſt à Græcis demum reperta; ſed quod hæc nobis jam recepta ſint, cum potius à Semo, Chamo & Japheto, quemadmodem Poſtellus fecit, denominandæ eſſent. Obtinuit autem SEMUS, quicquid terrarum ab Helleſponto ad Indiam ſitum eſt. A LUD non modo *Lydi*, verum & aliæ Minoris Aſiæ nationes, profectæ ſunt. ARAM omnes *Syriæ* populos condidit. Nam *Vtz* Damaſcenis ſive Algautæ, *Hul* Cholobotenæ, *Mas* ſive *Meſech* Maſienæ originem dedit. A GETHER *Gedroſia*, videtur condita. ELAM *Perſarum*, ASSUR *Aſſyriorum* authores. Ab ARPHAXAD, quidam (*Chaldæos* deducunt; ſed certius eſt *Arapachitidem*, Aſſyriæ partem, inde nominatam. Cujus poſteri SALAH *Suſianos*, EBER *Ebræos*, à quibus poſtea *Iſraelitæ* & *Iſmaelitæ*, JOKTAN, ſive ut Arabes vocant, CAHTAN, multas Arabiæ Felicis nationes propagarunt. Nam ab *Almodad* ſunt *Alumæotæ*, à *Schaleph* Salapeni, ab *Hatzarmaveth* Chadramotitæ, à *Ierah* Alilæi, ab *Hadoram* Drimatæi, ab *Vzal* Auzalitæ, à *Dikla* Minæi, ab *Obel* Avalitæ, ab *Abimael* Mali, à *Scheba* Sabæi, ab *Ophir* Gaſſandii ſive Tchamæi, à *Iobal* Jobalitæ deſcenderunt.

CHAM, ab Euphrate, Arabiam & Palæſtinam, cum univerſa Africa, occupavit. Quippe CHUS Æthiopum & Arabum pater, cujus poſteri, *Sabtheca* Carmaniam, *Rhegma*, *Seba*, *Sabtha*, *Chavila* Arabiam Petræam & Deſertam, *Nimrod* Babyloniam, habitarunt. Sic MITZRAIM Ægyptiis originem dedit, à quibus variæ Æthiopum, Thebaidis, Libyæ, Marmaricæ, Naſamonum, Colchorum, Cappadocum, nationes, quas Moſes *Ludim*, *Pathroſim*, *Lehabim*, *Naphtuchim*, *Anamim*, *Caſluchim*, *Caphthorim*, à quibus poſtea *Philiſtæi*, vocat. PHUT Mauritaniam & Numidiam implevit. CHANAAN, Græcis *Phœnix*, omnem littoralem tractum, inter Ægyptios & Syros, ſuis coloniis occupavit, unde *Sidoniorum*, *Hethæorum*, *Iebuſæorum* (quorum urbs Hieroſolyma) *Amoræorum*, *Gergeſæorum*, *Hivæorum*, *Arkæorum*, *Aradiorum*, *Samaræorum*, nationes. Omnium ampliſſimas ſedes JAPHET habuit, quicquid ſupra Aſſyrios in Septentrionem Aſiæ pariter & Europæ, ſitum complexus. *Cimmerii* enim & *Phryges* GOMERI, *Scytharum* hordæ MAGOGI, *Medorum* nationes MADAI, *Græci* & *Itali* JAVANIS, *Tibareni* TUBALIS, *Thraces* THIRASI, *Moſchi* MESCHECHI, propago & ſoboles ſunt. GOMERI poſteritas, Europam magna parte tenuit. Nam ab ASCENAZ, non modo *Aſcanii* Aſiatici, verum etiam

omnes *Germanorum, Gottorum, Vandalorum ac Normannorum* gentes, originem traxerunt. Sic THOGARMA *Cappadoces & Armenii*, RIPHAT sive DIPHAT, *Tibieni*, conditores agnoscunt. Nec pauciores JAVANEM. Nam DODANIM *Dodonæis* vel *Rhodiis*, CITTIM *Macedonibus & Italis*, THARSCHISCH insulis Maris Mediterranei, vel etiam Hispaniæ parti, ELISCHA *Helladi*, nomen dedère. Neque sedibus modo & terrarum spatiis distabant hæ nationes, verum insuper corporis habitu, moribus, lingua, Religione. Nigri Æthiopes, adusta cute, capillitio crispo & lanuginoso, naribus simis, tumentibus labris. Fusci qui à Semo. At Japhetæis lacteum corpus, color floridus, cœrulei oculi, coma aurea, vasti artus. Major in moribus diversitas. Ingenio pravo & servili Æthiopes, Asiatici molles, circumspecti, magno animo & omnium artium capaci: Europæi simplices, aperti, feroces. Atque hinc illa diversa singulorum studia fluxerunt. Vagantur per solitudines suas Arabum familiæ. Scythæ in plaustris circumvectantur. Reliqui urbes amant. Et cum aliis omnibus fluxæ vestes placeant, soli Europæi strictum habitum & singulos artus exprimentem, maluerunt: illi acinace hi gladio recto, utuntur. Quid de immensa linguarum varietate dicam, cum in America singuli pagi, diversissimas habuerint? Quæ non secus ac gentes & nationes, propagando multiplicatæ sunt. Præcipuus Geographiæ usus ad Historias intelligendas esse solet. Quare eodem planè ordine in ea tradenda versandum fuit, quo res humanæ succreverunt. Nihil antiquius extat in hoc opere, quam Patriarcharum vetustissimæ peregrinationes. Quorum, Abrahami, Isaaci & Jacobi, ex Babylonia usque in Ægyptum, per varios Chananæorum populos, susceptа itinera, unius tabulæ ambitu concluſimus, omissis ferè locorum nominibus, quæ illo ævo nondum cognita erant. Unde vastæ passim solitudines occurrunt & deserta, vacuo adhuc magnam partem seculo. His temporibus *Ur* sive *Orchoë* Chaldæorum, *Charan* sive *Carræ* Mesopotamiæ, *Damascus* Syriæ, *Sichem, Hebron, Salem, Gerar, Sodoma, Gomorrha, Adama, Zeboim, Tzoan* Ægypti & aliæ quædam urbes memorantur. Quid jucundius quam sanctissima illorum virorum vestigia legere, & nunc in famoso illo nemore Mambres cum Abrahamo apricari, nunc fertilissimos quondam Pentapolis, divina ultione in meram salsuginem & naphtam conversos campos, recognoscere, nunc Jacobum, primo quidem in Syriam, Carras, inde, mirifico casu, in Ægyptum, comitari, & cum posteritate ipsius, sed jam in immensum aucta & hostium spoliis dives, per scissas maris rubri undas, & Arabum deserta, longissimis erroribus in promissam toties Chananæam, immigrare? vincere tot reges, tot nationum valentissimarum duces? expugnare Hierichuntem ad buccinarum concentum? Sole immobiliter stante & Luna quieta præliari? Denique captas hostium terras in duodecim tribus, velut privatam familiam, hercisсere? Extant in Geographia nostra antiqua splendidæ imprimis & magnificæ Terræ Chanaan, ut in Israëlitas divisa est, tabulæ, ex Adrichomii Delphensis lucubrationibus, cum cura & elegantia expressæ, sine quibus sacræ literæ utiliter intelligi neutiquam possunt. Fundamentum hujus Sacræ Geographiæ decimo capite Genesеos extat. Retinuerunt enim Hebræi primæva illa, à Noachi posteris, deducta regionum nomina, nec nisi pauca quædam exotica admiserunt. Ut igitur constet, qualem illi orbis descriptionem habuerint, sciendum est, Hebræos orbem distribuere in quatuor partes, Orientem, Occidentem, Meridiem & Septentrionem. Termini extremi sunt, ad Occidentem *Tarsis*, quæ est illa Hispaniæ pars quam *Bæticam* vocant, unde universum mare Mediterraneum eo quoque nomine appellatum, ut ex fuga Ionæ patet; ad Austrum *Phut*, quæ *Mauritania & Numidia*, nec non *Chus* sive *Æthiopia*; ad Orientem *Ophir & Hodu* sive *India*. Sunt qui existiment Sinensium quoque mentionem factam à Propheta Esaia, quod tamen potius de *Sinæis* in Palæstina degentibus intelligendum videtur. Centrum autem Geographiæ sacræ est terra ISRAEL, & in ea urbs JERUSALEM. Quippe sacri scriptores, quotiescunque de plagis mundi & terrarum gentiumque situ loquuntur, semper respiciunt Hierosolymam, tanquam centrum suum. Quod cum non observassent aliqui, Hierosolymam putarunt in medio mundi sitam, quemadmodum Græci Delphos. Medium nimirum mundi duplex statui potest, naturale & artificiale, quorum illud ubique, hoc pro arbitrio, certis quibusdam locis, affixum est. Sic omne punctum in globo, ejus statui potest medium, quia ab omni puncto circuli, ad centrum lineæ sunt æquales. Et hoc respectu non magis Hierosolyma, quam Harder-vicum, in medio mundi jacet. Neque vero, si medium mundi statuas quod inter Orientem & Occidentem, Boream & Austrum, exactè medietatem obtinet, id Hierosolymæ competet. Ubique enim Oriens & Occidens ac longe ab Æquinoctiali in septentrionem Palæstina declinat. Quare fabulosus ille Mandevilius sua opinione, quod Hierosolyma sit in mundi centro sive medio, orbi imposuit, quemadmodum jam olim ostensum à Jodoco Ghistelle in Itinerario suo. Nam quod ex Psalmo LXXIII. profert, *Deum operatum salutem in medio terræ*, id non intelligendum Geographicè sed sensus est, negotium salutis inter homines & bono generis humani peractum fuisse. Illud verò planè falsum, Circa meridiem Hierosolymis nullas conspici corporum umbras. Nam cum extra Tropicum sita sit & solem obliquum habeat, non potest umbris carere, sicut de Arabum gente testatur Lucanus

Ignotum

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8603, [10] - 4
PUBLIC DOMAIN

Ignotum vobis Arabes veniſtis in orbem
Vmbras mirati nemorum non ire ſiniſtras.

Igitur in ſola Geographia ſacra, Jeruſalem, medium locum & quaſi centrum obtinet. Ejus reſpectu, auſtrales regiones ſunt EDOM ſive *Idume*, in qua montes *Seir* & portus *Eziongeber* atque *Elath*, ex quibus Salomo claſſes ſuas in Indiam Orientalem miſit: MITZRAIM ſive *Ægyptus*, in qua fluvius *Schihor* id eſt *Nilus*, urbes *Mitzraim*, quam Arabes hodieque *Mesr* appellant, *Noph* ſive *Moph*, quæ *Memphis*, *Tzoan* ſive *Tanis*, omnium antiquiſſima Pharaonum ſedes, ubi Moſes miracula ſua edidit, ac decem plagis Ægyptios percuſſit. *Rameſſes* Iſraëlitarum opus. Neque deſunt qui ipſas Pyramides manibus Iſraëlitarum conſtructas velint, quamquam alii earum originem Joſepho adſcribant, quod iis ad reponenda frumenta uſus fuerit. In qua opinione etiam Nazianzenus eſſe videtur. CHUS ſive *Æthiopia*, quæ magnam Arabiæ & Africæ ſupra Ægyptum partem, complectitur. Nam univerſus, à Perſico ſinu, ad Rubrum mare, terrarum tractus, antiqua *Chus* fuit, unde etiam *Suſiana* hodieque Arabibus *Chuſeſtan* dicitur. Ipſa vero Arabia, varias, Iſmaëlitarum imprimis, nationes, quas inter *Kedareni* & *Nabathæi* eminent, complectebatur: tum MOAB & AMMON, cujus urbs *Rabba*, nec non MIDIAN & alias quasdam Arabum provincias, tum illas à Joktane profectas Arabiæ felicis gentes, maximè SABÆOS. Ad mare rubrum accedunt SUCCIM ſive *Troglodytæ*. Ita ſe auſtralia habent. Ad Septentrionem occurrit TZOR ſive *Tyrus*, emporium antiqui orbis celeberrimum, cujus jam Joſue ævo memoria extat. Hinc *Syriæ* nomen ductum: quippe Tyrus molliori tono etiam *Sorra* dicebatur: ut nullam habuerint cauſam Phœnices ſive Tyrii, cur Syrorum nomen, tanquam alienum, repudiarent; quod eos feciſſe Strabo teſtatur. Erat enim ex ipſa Tyro expreſſum. Famoſa quoque fuit *Sidon* & *Hamath*, inter montes *Libanus* ac *Hermon*. Omnium non modo Phœniciæ, verum totius orbis, pulcherrimus mons Libanus, cenſetur. Cedri quondam adeo ferax, ut materiem Salomoni, ſtruendo templo & palatio, Tyriis etiam ad claſſes, ſuppeditarit. Qui vero factum fuerit, ut illa cedrorum multitudo adeo deficeret (hodiè enim vix quatuor & viginti numerantur) difficile dictu eſt: niſi exciſas, vel incendio combuſtas quis putet, quemadmodum Scotia, quondam ſylvoſiſſima, graſſantibus mutuo incendio factioſis, ad ſummam lignorum inopiam, redacta fuit. Et hæc eſt *Phœnicia*, quam nomine *Pœnag* deſignari ab Ezechiele quidam putant, Bochardus verò vocem ex בני ענק compoſitam arbitratur, cujus quidem, neque in hoc, neque in multis aliis, probare opiniones poſſumus. Quis enim ſibi perſuadere queat, Britanniæ nomen Phœnicium eſſe, & quia plumbi ferax regio, ac in eam à Phœnicibus navigatum, ideo ברתאנך id eſt *agrum plumbi*, dictam? Et ex ejuſmodi conjecturis, tota fere Chanaani moles compoſita eſt, laboriosè quidem, ſed parum probabiliter. Qualia ex multis pauca ſunt, *Siciliam*, quia vini ferax, à botris, qui apud Syros סכולי, *Sicanos*, quia Pœnorum vicini, סכנים dictos. Hoc vero omnem fidem ſuperat, quod ipſius *Thules* nomen, Phœnicium eſſe vult, à טולי, ſive tenebris, deductum. Quia nimirum ibi longiſſimæ noctes. Quaſi non etiam dies longiſſimi, imo per æſtatem ferè perpetui, aut Phœnices hyeme potius, quam æſtate, eò navigarint, ſi tamen unquam eò navigarunt. Nam cypariſſinæ tabulæ Tyri effoſſæ, quas ex Antonio Diogene Photius citat, vaniſſimæ ſunt, ut inſpicienti patet. Jam illud quam pulchrum, quod *Hiberniæ* quoque nomen Phœnicium eſſe contendit & cum ultima in occidentem veteris orbis terrarum fuerit, dictum עבר באר. quod eſt *ultima habitatio*? Sed ut ad inſtitutum noſtrum revertamur, poſt Phœniciam in Septentrione jacet ARAM ſive *Syria*, eaque triplex *Tzoba*, *Damaſcus* & *Meſopotamia*, in qua *Charan* ſive *Carræ* Damaſcus antiquiſſima fuit urbs & jam Abrahami ævo, cujus œconomus Eleazer, origine Damaſcenus fuit, & à quo nonnulli ipſam Damaſcum conditam putant. Unde proculdubio fluxit id, quod Nicolaus Damaſcenus ſcripſit, *Abrahamum Damaſci regnaſſe*, ex quo id hauſit Juſtinus, qui *Iudæos origine Damaſcenos* & hanc *antiquam ipſorum patriam* fuiſſe tradit. Quanquam decepti videantur nominum vicinitate, dum Abramo adſcribunt, quod Arami fuit opus. ARARAT eſſe *Armeniam*, apud omnes conſtat, quod antiquiſſimum & jam Moſi cognitum nomen, undecunque tandem ductum, fortaſſe à Rege aliquo: proprium enim Regum Cappadociæ nomen fuit *Ariarathes*. Sequuntur regiones TUBAL, TOGARMA, GOMER, MAGOG & notior jam ad Caſpium mare MEDIA, cujus metropolis *Achmat* ſive *Echatana*. Frequens *Gogi* & *Magogi*, in Prophetis mentio, quibus nominibus Schythicas nationes, inprimis Turcas ac Tartaros, deſignari, arbitrantur. Alii *Gog* putant eſſe Aſiam minorem, in qua Lydia, cujus antiquiſſimus Rex Gyges, unde *Gygeus* lacus & amnis & Cayſter. Quod cum non obſervaſſet Lipſius, Propertium corrupit potius, quam emendavit, dum pro Gygæo Cayſtro legendum cenſet *Cycneo*. Verſus orientem ſequuntur terra CHASDIM ſive *Chaldæa*, ubi *Ur* vel *Orchoe* Abrahami patria. SCHINNHAR ſive *Senaar*, ubi *Babel* ſive *Babylon*, caput antiqui orbis. ASSUR ſive *Aſſyria*, ubi *Ninive* ſive *Ninus*, altera Imperatorum Aſiæ ſedes, famoſa Jonæ legatione, qui eò ſub Rege Phul Aſſur, patre Sardanapali, venit, exciſa paulo poſt ſub ultimo Regum Saraco, à Medis & Babyloniis. ELAM ſive *Suſiana*, ubi *Suſa* Regum Perſarum ſedes. PARAS ſive *Perſia*. OPHIR, *aurea Cherſoneſus*. HODU, *India*. Reſtant Provinciæ Occidentales, uti JAVAN ſive *Ionia*, id eſt

universæ Græcorum in Asia, Græcia, Italia & Gallia, nationes. Ab ELISCHA *Æoles* vel *Hellines*. A KITTIM *Macedones* & *Itali*. Major enim Græcia olim Italia fuit ipsique Aborigines & Romani, à Græcis profecti. THARSIS, cujus nomen late extensum. Nam & *Cilicia* & *Hispania Bætica*, ubi *Tartessus*, & totum mare mediterraneum, ita dicebatur. RHODANIM sive DODANIM, *Rhodiorum* & *Dodonæorum* conditor perhibetur. Ego verò existimo etiam Galliæ partem australem, quam *Rhodanus* permeat, & ubi Massilia, ab hoc, Rhodanim coloniam accepisse, indeque Rhodani nomen fluxisse. ASCENAZ, tum Ascaniam Minoris Asiæ, tum, ut Judæi volunt, Germaniam condidit. De quo in Geographia Judaica. Hæc in universum Hebræorum notitia orbis fuit, qua scriptores sacri utuntur. Jam ipsam Chananæam quod spectat, occupata illa fuit ab Israëlitis ex Ægypto redeuntibus, ac in duodecim tribus, secundum numerum filiorum Jacobi, divisa. Universam Jordanes in duas partes dispescit, citeriorem & ulteriorem. Citerior complectebatur tribum JUDA, ubi *Hebron*, BENJAMIN, ubi *Ierusalem*, caput tum Religionis, tum Reipublicæ. SIMEON, ubi *Bersabe*. DAN, ubi *Bethsemes*. EPHRAIM, ubi *Sichem*. MANASSEN cis Iordanensem, ubi *Thirza*. ISACHAR, ubi *Iesreel*. ZABULON, ubi *Nazareth*. ASER, ubi *Aphec*. NEPHTALIM, ubi *Abel*. Ulterior divisa erat in tribum RUBEN, ubi *Hesbon*. GAD ubi *Bethsan*. MANASSEN trans Jordanensem, ubi *Iabes*. Sed universam terræ Israël faciem elegantissima tabula ob oculos ponit. Hæ duodecim provinciæ sub Rehaboamo tertio Rege, civilibus dissidiis in duo regna, plerumque adversa, distractæ fuerunt, JUDÆ & ISRAEL. Illius caput mansit Ierosolyma: hujus, initio *Sichem*, deinde *Samaria* fuit, decemque tribus imperio complectebatur. Donec Salmanassar in Assyriam Israëlitas, Nebucadnezar in Babyloniam, Judæos transferret, unde post septuaginta annorum exilium jussu Cyri reduces duæ tribus, Judæ & Benjamin, Hierosolymam instaurarunt. A quo tempore, abolito Israëlitarum nomine, *Iudæi* in universum appellati, regio JUDÆA. Quid verò cum decem tribubus actum fuerit, quæ in antiquam patriam non redierunt, incertum est. Omitto Judæorum fabulas de fluvio Sabbatico & regnis Israëlitarum Scythicis, de quibus tamen infra aliquid dicendum erit. Neque eorum probare possumus sententiam, qui Tartaros inde derivant, quemadmodum in Americanis Originibus jam à nobis ostensum. Qui verò reduces facti sunt in Chananæam Judæi, nova divisione instituta, regionem suam in tres provincias JUDÆAM, SAMARIAM & GALILÆAM, distribuerunt. GALILÆA, Libano contigua, duplex fuit, *Superior* sive *Gentium*, in qua *Iardanes* oritur, Hiromo Tyriorum Regi à Salomone donata, & *Inferior*, quæ & *Tiberiadis* à lacu alias *Genezareth*, & urbe, cognomine, celebris oppido *Nazareth*, in quo JESUS Christus, ex Spiritu Sancto à Maria conceptus, indeque cognomen *Nazareni* tulit; & altissimo monte *Thabor* sive *Itabyrio*. Sunt etiam in eo tractu ad mare Genezareth, *Caphernaum*, *Bethsaida* & *Chorazin*, quod aliqui, non pro oppido, sed tractu sive regione accipiunt, quemadmodum Origenes in φιλοκαλίᾳ duabus vocibus legit χώρα ἐστιν. SAMARIA tempore captivitatis Assyriacæ, colonos gentiles ex Assyria à Salmanassare transmissos, accepit, qui religionis quandam ex gentilitate & Judaismo mixturam fecerunt, unde tanquam abominabiles Idololatræ, Judæis exosi erant, qui etiam multa in odium ipsorum mendaciter confinxerunt, quod hircum, columbam & alia in monte Garizim, futilia adorarent: Metropolis erat *Samaria*, deinde *Sichem* sive *Sichar* & *Neapolis*. JUDÆA *Ierosolymam*, caput gentis, habuit, in qua magnificum illud Salomonis templum, ab Herode imprimis instauratum & sumtuosissimè exornatum; deinde *Bethlehem*, ubi JESUS Christus natus. Cum vero Iohannes Hyrcanus Rex, Idumæam expugnasset, eamque gentem leges & instituta Iudæorum suscipere coegisset, & illa Iudææ pars esse cœpit. Postea Romani, Duce Cn. Pompejo, Iudæam provinciam fecerunt, & per præsides ac Reges tributarios gubernarunt, unde multarum urbium nomina in honorem Cæsarum mutata. Quippe ad fontes Iordanis *Cæsarea* Philippi, ad lacum Genesareth *Tiberias* & *Iulias*, Samaria *Sebaste* dicta: omitto alias. Defuncto Herode Magno divisum fuit regnum in *Trachonitidem*, *Iudæam* & *Galiæam*, Tetrarchias sive Ethnarchias. *Trachonitis* complectebatur montana Gilead, Hermon & Antilibani, cujus partes *Auranitis* & *Bathanæa*. Fuit etiam in illo tractu *Ituræa*, in qua *Chalcis*, unde & *Chalcidene*, & postea à Lysania, quem Antonius Regem fecit, *Tetrarchia* Lysaniæ, cujus regia fuit *Abyle* Lysaniæ; quo occiso idem Antonius *Ituræam* Cleopatræ, Augustus Zenodoro cuidam donavit, unde *præfectura* vel *domus Zenodori* dicta. Imprimis *Iudæam* illustravit JESUS CHRISTUS, mundi Salvator, qui conceptus *Nazarethæ*, natus *Bethlehemi*, vir factus, universam regionem peragravit, ac *Caphernaumi* jus civitatis habuit, donec *Hierosolymis*, in monte *Calvariæ* sive *Golgotha*, cruci suffixus, crimina nostra expiaret. Antiqui credebant, eodem loco sepultum fuisse *Adamum*, ita quidem, ut stipes crucis, cranium ejus perforaret. Fabulæ origo inde, quod ibi essent crania *Adam*, id est hominum, non Adami illius primi, sed aliorum, qui supplicio frequentes afficiebantur. Universa autem Iudæa, & ipsa Hierosolyma, à Tito Vespasiano excisa fuit, finisque Reipublicæ Iudæorum impositus, mox tamen urbs utcunque instaurata, donec Iudæis sub Adriano denuo rebellibus, in alium locum translata & ÆLIA *Capitolina* appellata fuit, prohibitis ejus ingressu Iudæis, unde etiam

sus,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8603, [12] - 6
PUBLIC DOMAIN

ſus, inviſum genti animal, portæ Bethlehemum ſpectanti, inciſus. Ita deſerta quaſi & deſolata jacuit Iudæa, uſque ad Conſtantini Magni tempora, cujus mater Helena, ruinis horrentem Hieroſolymam, frequentiſſimis & magnificentiſſimis templis adornavit & baſilicam in loco Dominicæ paſſionis & reſurrectionis & adſcenſionis conſtituit. Quanquam, quæ Sulpicius Severus de cruce Chriſti ibidem miraculo reperta, de impreſſis pedum ejus veſtigiis, refert, anilia figmenta cenſeantur. Hæc in univerſum de SACRA GEOGRAPHIA dicta ſunto.

Sequitur GEOGRAPHIA GRÆCORUM & LATINORUM, à quibus imprimis exculta atque illuſtrata fuit. Cum enim hactenus Geographia rudis adhuc & confuſa eſſet, Eudoxus, Dicæarchus, Ephorus, Eratoſthenes, Poſidonius, Marinus Tyrius, cultum ei & ordinem accuratiorem circumdederunt: ſed omnium induſtriam ſuperarunt duo hæc Geographorum lumina, *Strabo* & *Cl. Ptolemæus*, quorum hic ſummam quaſi manum Geographiæ impoſuit. Neque enim quiſquam repertus in antiquo orbe, ac ne recentiorum quidem, qui Ptolemæi numeris & rationibus pauciſſimis exceptis contradicere auſus fuerit. Hic igitur Orbem terrarum, circulis quibuſdam concluſit ac metitus fuit, qui in æquales partes ccc. LX. quos *gradus* vocant, & ſinguli in LX. minores, dividuntur. Horum circulorum duo ſunt majores, *Æquator*, medius inter Polos mundi, longitudinis index; *Meridianus*, medius inter Orientem & Occidentem, in quo latitudo locorum numeratur. Omnis igitur Geographiæ Græcæ ratio conſiſtit in longitudine & latitudine, quarum illa diſtantiam locorum à primo meridiano in Orientem vel Occidentem; hæc ab æquatore verſus Septentrionem vel Meridiem oſtendit. Minores ſunt, duo *Tropici* & duo *Polares*, qui orbem diſtinguunt in *Zonas* & *Climata*. *Zonæ* numerantur quinque; duæ extremæ ſive *frigidæ*, duæ *temperatæ* & una *torrida*, ſive caloribus exuſta. *Frigidæ* ſingulæ gradus XXIII. cum dimidio obtinent. *Temperatarum* quælibet gradus XLIII. *Torrida* XLVII. Neque vero putandum eſt, hanc diſtinctionem merè arbitrariam, & ab arte potius, quam natura, profectam fuiſſe. Deprehendunt enim navigantes notabile diſcrimen aëris, quam primum Zonam mutant. Ubi torridam attigerunt, ſtatim omnia putrere: aqua limpidiſſima muceſcit, fœtet, gilveſcit, virideſcit & tandem rubeſcit, donec emenſa Zona, ſponte ad ſe redeat. Cujus mirandæ rei ratio adſcribitur propinquitati Lunæ, quæ putredinis princeps cauſa eſt. Non minor ventorum differentia, qui fere ſtati ſub torrida, varii in temperatis. Sub frigidis, tota quaſi natura torpet. Has Zonas in minora adhuc ſpatia antiquitas diſtinxit, quæ *Climata* & *Parallelas*, vocarunt. Tres paralleli clima conſtituunt. Quoties longiſſimus dies unius loci à longiſſimo die alterius loci, ſemiſſe horæ differt, novum clima ponitur. Loca ſub eodem climate, habent eandem dierum & noctium quantitatem, diverſa diverſam. Singula à ſingulis, per quæ tranſeunt, locis, nomen peculiare obtinuerunt. Nunc ex Ptolemæi traditione compendio referemus, præcipuas antiqui orbis provincias ac loca. Igitur, partes orbis tres conſtituunt, *Europam*, *Aſiam* & *Africam*.

EUROPA continet, Inſulas *Britannicas*, *Hiſpaniam*, *Galliam*, *Germaniam Magnam*, *Rhætiam*, *Vindeliciam*, *Noricum*, *Pannoniam*, *Illyricum*, *Italiam*, *Inſulas maris mediterranei*, *Sarmatiam* Europæam, *Tauricam* Cherſoneſum, *Iazyges*, *Myſiam*, *Thraciam*, *Græciam*. Inſulæ BRITANNICÆ ſunt majores & minores. Majores duæ, *Britannia* & *Hibernia*. BRITANNIA dividitur in *Albionem*, quæ & *Britannia major*, & *Caledoniam*, quæ *Britannia minor*. In *Albione* urbes ſunt, *Londinium* & *Eboracum*. Flumina, *Tameſis* & *Sabrina*. Gentes, *Cantii*, *Trinobantes*, *Silures*, *Brigantes*. In Caledonia, *Alata caſtra*. Flumina, *Glotta*, *Tina*, *Varar*. Sylva, *Caledonia*. HIBERNIA habet *Eblanam* & *Manapiam*. Minores ſunt *Ebudæ* quinque, ſive *Hebrides* XLIV. *Orcades* triginta & inſuper, ultimus antiqui orbis in Septentrione terminus, *Thyle*, quam cum Ptolemæus ad gradum LXIII. collocet, hinc Iſlandia eſſe non poteſt, quod clarius adhuc ex Taciti Agricola, patet. Unde recentiorum aliqui *Schetlandiam* ſive *Hitlandiam* eſſe putant, quam à nautis vocari *Thilenſel* Caſp. Peucerus tradidit. Sed mihi hæc ſententia non probatur, verum illa potius Joh. Majoris qui *Ylam*, unam Hebridum, pro Thule accepit; quia & nomen & ſitus concordant. HISPANIA dividitur in TARRACONENSEM, ubi *Cæſarauguſta*, *Tarraco*, *Saguntus*, *Numantia*, *Pallantia*, *Carthago* Vetus & Nova, *Ilerda*. Fl. *Iberus*, *Sicoris*. Gentes; *Cantabri*, *Aſtures*, *Celtiberi*. BÆTICAM, ubi *Hiſpalis*, *Corduba*, *Aſtigi*. Fl. *Bætis*, *Ana*. LUSITANIAM, ubi *Auguſta* Emerita, *Conimbrica*, *Oliſipo*. Fl. *Tagus*, *Durius*, *Minius*. Inſulæ ad Hiſpaniam ſunt, *Gadira* ſive *Cades*, *Pityuſæ* duæ, *Baleares* duæ. GALLIA dividitur in AQUITANIAM, ubi *Burdegala*, *Mediolanum*. Fl. *Garumna*, *Ligeris*. LUGDUNENSEM, ubi *Auguſtodunum*, *Lugdunum*. Fl. *Sequana*. BELGICAM, ubi *Samarobriga*, *Auguſta* Trevirorum, *Divodurum*, *Durocottorum*, Fl. *Moſa*, *Rhenus*. NARBONENSEM, ubi *Maſſilia*, *Narbona*, *Vienna*, *Toloſa*, *Nemauſus*, *Arelatum*. Fl. *Rhodanus*. GERMANIA MAGNA. Gentes: *Batavi*, *Sicambri*, *Friſii*, *Longobardi*, *Catti*, *Vangiones*, *Angli*, *Saxones*, *Quadi*, *Bæmi*, *Cheruſci*. Urbes: *Tecelia*, *Phabiranum*, *Laciburgium*, *Rugium*, *Aſciburgium*, *Navalia*, *Amaſia*, *Lupia*, *Lupfurdum*, *Suſuſata*, *Budorigum*, *Budoris*, *Mattiacum*, *Nuæſium*, *Segodunum*, *Bergium*, *Marobudum*, *Caſurgis*, *Aræ Flaviæ*, *Celmantia*. RHÆTIÆ, ubi *Brigantium*. Fl. *Danubius*. VINDELICIÆ. ubi *Auguſta* Vindelicorum. Fl. *Licus*. NORICUM, ubi *Iulium* Carnicum. PANNONIA ſuperior ubi *Pætovium*, Inferior

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8603, [13] - 7
PUBLIC DOMAIN

ferior ubi *Sirmium*, *Cibalis*. Fl. *Darus*, *Savus*. ILLYRICUM, ſub quo *Liburnia* & *Dalmatia*, ubi *Iadera*, *Salone* Dalmatiæ. ITALIA, ubi *Mediolanum*, *Ticinum*, *Parma*, *Mantua*, *Verona*, *Cremona*, *Genua*, *Brixia*, *Ravenna*, *Patavium*, *Tridentum*, *Forum* Iulium, *Florentia*, *Piſæ*, *Ancona*, *Spoletum*, *Roma*, *Aricia*, *Præneſte*, *Lavinium*, *Neapolis*, *Cumæ*, *Capua*, *Puteoli*, *Tarentum*, *Brunduſium*, *Croton*, *Sybaris* ſive *Thurium*, *Locris*, *Regium*, *Hydrus*. Fl. *Padus*, *Atheſis*, *Rubicon*, *Arnus*, *Tiberis*, *Liris*. Regiones; *Inſubria*, *Liguria*, *Tuſcia*, *Umbria*, *Latium*, *Samnium*, *Campania*, *Apulia*, *Lucania*, *Magna Græcia*, *Calabria*. Montes: *Alpes*, *Apenninus*. CORSICA, ubi *Aleria*. SARDINIA, ubi *Calaris*. SICILIA, ubi *Syracuſæ*, *Agragas*, *Enna*, *Panormus*, *Lilybæum*, *Meſſene*. Fl. *Himera*. Montes: *Ætna*. Promuntoria: *Lilybæum*, *Pachynus*, *Pelorus*. SARMATIA ſive SCYTHIA EUROPÆA, ubi *Olbia* ſive *Boryſthenis*. Fl. *Boryſthenes*. Gentes: *Eſſedones*, *Agathyrſi*, *Sauromatæ*, *Hamaxobii*, *Nomades*, *Georgi*, *Axiaci*, *Anthropophagi*, *Geloni*, *Neuri*. TAURICA CHERSONESUS ſive BOSPHORUS CIMMERIUS, ubi *Theodoſia*, *Panticapæum* IAZYGES, ubi *Bornanum* Iazygum. MYSIA Superior, ubi *Rhætiaria*, *Scupi*. Inferior, ubi *Odeſſus*, *Oeſcus*. THRACIA, ubi in Boſphoro *Byzantium*, In Propontide *Selymbria*, *Perinthus*, *Lyſimachia*, *Præconeſus*, *Ænus*, *Apollonia*, *Amphipolis*, *Stagiros*, *Heraclia*, *Philippopolis*, *Hadrianopolis*, *Abdera*, *Potidæa*. Montes: *Hæmus*, *Rhodope*, *Athos*. Fl. *Hebrus*, *Strymon*. CHERSONESUS Thracia ubi *Seſtos*. Fl. *Ægoſpotamos* GRÆCIA, quæ MACEDONIA ubi *Edeſſa*, *Pella*, *Theſſalonica*, *Dyrrachium*, *Amphipolis*, *Caſſandria*, *Berrœa*, *Lariſſa*. Montes: *Olympus*, *Pelion*, *Oſſa*, *Oeta*, *Tempe*. EPIRUS, ubi *Ambracia*, *Actium*. HELLAS ſive ACHAIA, ubi *Thebæ*, *Athenæ*, *Megara*, *Theſpiæ*. Montes: *Helicon*, *Parnaſſus*. Fl. *Iſmenus*, *Sperchius*. Lacus, *Copiæ*. PELOPONNESUS ubi *Corinthus*, *Argos*, *Megalopolis*, *Sparta*, *Meſſana*, *Mycenæ*. Fl. *Peneus*, *Inachus*. Montes: *Stymphalus*, *Taygetus*, *Ithome*, *Era*. INSULÆ ad Græciam, *Corcyra*, *Cephalonia*, *Zazynthus* *Cyclades*, *Sporades*. EUBOEA, ubi *Chalcis*, *Eretria*. CRETA ubi *Gnoſſus*, *Gortyna*, *Lyctus*. Mons, *Ida*.

AFRICA complectitur *Mauritaniam*, *Africam Minorem*, *Cyrenaicam*, *Marmaricam*, *Lybiam*, *Ægyptum*, *Æthiopiam*. MAURITANIA eſt vel TINGITANA, ubi *Tingis Lixa*, *Volubilis*, *Zilia*. Montes *Atlas*, *Abyla*. Fl. *Mulucha*. CÆSARIENSIS ſive NUMIDIA, ubi *Iol* ſive *Iulia* Cæſarea, *Salde*, *oppidum novum*. AFRICA MINOR, cujus termini aræ Philœnorum, ubi *Carthago*, *Utica*, *Adrumetum*, *Leptis*, *Cirta Iulia*, *Sicca Venerea*, *Thyſdrus*, *Tabraca*, *Hippo regius*, *Capſa*, *Clupea*, *Thuniſa*, *Aphrodiſium*. Fl. *Bagradas*. Sinus, *Syrtis* parva & magna. Inſulæ, *Meninx*, *Melite*, *Coſyra*. CYRENAICA, ubi *Berenice*, *Arſinoë*, *Ptolemais*, *Apollonia*, *Cyrene*, MARMARICA ubi *Cherſoneſus* magna. LYBIA exterior ubi *Catabathmus* magnus, *Parætonium*. ÆGYPTUS, ubi *Alexandria*, *Memphis*, *Arſinoe*, *Babylon*, *Leontopolis*, *Thonuis*, *Heliopolis*, *Peluſium*. THEBAIS ubi *Dioſpolis*, *Tentyra*, *Coptos*, *Syene*. Fl. *Nilus*. LYBIA Inferior ubi *Garama*. ÆTHIOPIA ſub Ægypto, ubi *Meroe*, *Napata*. Montes, *Lunæ*, ubi Nilifontes.

ASIA, in qua BITHYNIA ubi *Chalcedon*, *Nicomedia*, *Apamia*, *Nicæa*. Fl. *Sangarius*. ASIA propria, ubi *Cyzicus*, *Pergamus*, *Smyrna*, *Epheſus*, *Miletus*, *Gnidus*, *Sardis*, *Mitylene*. Fl. *Hermus*, *Mæander*, Inſulæ: *Chios*, *Rhodus*. LYCIA, ubi *Patara*. GALATIA, ubi *Sinope*, *Amiſus*, *Ancyra*, *Peſſenus*. Fl. *Halis*. PAMPHILIA, ubi *Sida*, *Perga*, *Thermeſſus*. CAPPADOCIA ubi *Trapezus*, *Ceſarea*, *Comana* Pontica. ARMENIA MINOR, ubi *Nicopolis*, *Satala*, *Comana* Cappadociæ. MAJOR, ubi *Artaxata*, *Arſamoſata*, *Tigranocerta*. CILICIA, ubi *Tharſus*, *Adana*, *Pompejopolis*. Fl. *Cydnus*. SARMATIA Aſiatica, ubi *Tanais*. Fl. *Tanais*. *Rha*. COLCHIS, ubi *Phaſis*, *Dioſcurias*. IBERIA, ubi *Artaniſſa*. ALBANIA, ubi *Gatara*, *Albana*. Fl. *Cyrus*, *Araxes*. Inſula CYPRUS, ubi *Paphus*, *Amathus*, *Salamis*. SYRIA, ubi *Antiochia*, *Laodicea*, *Hierapolis*, *Apamia*, *Palmyra*, *Panias* Cæſarea, *Damaſcus*. Fl. *Orontes*. Mons, *Libanus*. JUDÆA, ubi *Ieruſalem* ſive *Ælia Capitolina*, *Aſcalon*, *Cæſarea* Stratonis, *Neapolis*, *Sebaſte*. Fl. *Iardanes*. MESOPOTAMIA, ubi *Edeſſa*, *Niſibi*, *Nicephorium*, *Seleucia*, *Carræ*. Fl. *Euphrates*, *Tigris*. BABYLONIA, ubi *Babylon*, *Urchoa*, *Teredon*. ASSYRIA, ubi *Ninus*, *Arbela*, *Cteſiphon*, *Seleucia*. SUSIANA, ubi *Suſa*. MEDIA, ubi *Ecbatana*, *Arſacia*, *Cyropolis*. PERSIS ubi *Perſipolis*, *Paſargadæ*. PARTHIA, ubi *Hecatompylus*. HYRCANIA, ubi *Hyrcania*. CARMANIA, ubi *Carmana*, *Armuza*. ARABIA Deſerta, ubi *Macoraba*. Petræa, ubi *Petra*, *Boſtra*. Felix, ubi *Muza*, *Sapphar*. Inſulæ: *Dioſcoridis*. MARGIANA, ubi *Antiochia*. BACTRIANA, ubi *Bactra*, *Maracanda*. Fl. *Oxus*, *Iaxartes*. SCYTHIA, intra Imaum, ubi *Aſpabota*, extra Imaum, ubi *Iſſedon* Scythica. SERICA, ubi *Iſſedon Serica*, *Sera*. ARIA, ubi *Aria*, *Alexandria* Ariæ. PAROPANISUS, ubi *Naulibis*, *Carura*. DRANGIANA, ubi *Ariaſpa*, *Prophthaſia*. ARACHOSIA, ubi *Alexandria*, *Arachotus*. GEDROSIA, ubi *Cuni*, *Muſarna*, *Arbis*. INDIA intra Gangen, ubi *Palibothra*, *Bucephala*. Fl. *Indus*. Extra Gangen, ubi *Tacola*, *Rhandamarcotta*. Fl. *Ganges*. SINÆ, ubi *Aſpithra*, *Sinæ*, *Cattigara*. Inſula TAPROBANA, ubi *Talacori*, *Maagrammum*. Ita ſe habet Geographia Græco-Latina, prout eam prolixius Ptolemæus, Strabo, Mela, Plinius & alii deſcribunt. Antiquiſſimam Orbis apud Græcos notitiam Argonautarum, Duce Jaſone, in Colchidem navigatio exhibet. Pontus ea tempeſtate, ut Diodorus teſtatur, à barbaris & ferociſſimis gentibus, quæ advenarum cædibus infames erant, accolebatur & Ἄξενος id eſt, *inhoſpitalis* dicebatur. Navis Argo, ſub Pelio monte, ſtructa, ex *Iolco*, oppido Theſſaliæ, ſolvit. Inde *Athon* & *Samothracen* prætervecti, ad *Sigeum* Traodis promuntorium

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8603, [14] - 8
PUBLIC DOMAIN

muntorium tempeſtatibus jactati, in *Thraciam*, hinc Ponto ſubvecti, *Tauricam* Cherſoneſum & *Colchidem* venerunt, cujus tum regia Æetæ ſedes princepſque civitas, *Phaſis* erat. Inde ablato, ut ferunt, arietis aureo vellere, *Pontum* Axenum remenſi, ad oſtia ejus, regionem Byzantis à quo *Byzantium* nomen accepit, inde cum *Propontidem* & *Helleſpontum* ſuperaſſent, *Troadem* ingreſſi, factiſque in *Samothrace* ſacris, *Theſſaliæ* littus repetierunt. Hæc eſt Argonautica illa navigatio, quam elegantiſſimè Apollonius Rhodius Græco, Val. Flaccus, Latino carmine, deſcripſerunt. Secutum paulo poſt fuit TROJANUM bellum, quod antiquiſſimus Poëtarum Homerus deſcripſit, in quo totius Græciæ, ac vicinarum regionum, Topographia occurrit. Nulla enim Græciæ gens, nullum oppidum aut regio fuit, cujus non accuratam mentionem diligentiſſimus ſcriptor faciat; unde tanta ejus authoritas apud Geographos, ut quorum ipſe non meminit, ea nondum illo ævo extitiſſe velint. Memenit in Oriente *Ægypti*, *Phæniciæ*, *Æthiopiæ* & *Suſianes*. Denique veteris Orbis, qualis ad Mediterraneum mare, pleraque deſcribit: nam exteriora Europæ & Aſiæ tum adhuc incognita erant. Ex hoc bello, ULYSSIS & ÆNEÆ errores fluxerunt, de quibus Odyſſea & Æneis legantur. Quanquam hæc omnia ad Mythicum ævum ſpectent, & haudquaquam ad Hiſtoriæ, id eſt, veritatis legem, exigi poſſint, multum tamen ad antiquæ Geographiæ cognitionem faciunt. At EXPEDITIO decem millium Græcorum à Xenophonte in ἀναβάσει κύρου deſcripta, quemadmodum veram narrationem complectitur, ita majorem lucem terris, maxime ad Caſpium mare & Euxinum, parum tum cognitis & exploratis, infert. Hi *Sardibus*, per *Lydiam* ad *Mœandrum*, inde in *Phrygiam* profecti, *Celænas*: tum per *Cayſtri* plana, emenſis *Lycaonia* & *Cappadocia*, *Tarſum* Ciliciæ venerunt. Hinc flumina, *Pharos*, *Pyramus*, *Iſſus*, *Chalos*, & ad *Thapſacum Euphrates*, ac *Araxis*, tranſmiſſa: ſequebantur *Arabum* ſolitudines & portæ ad *Charmandem* ducentes, cui *Babylon* proxima, in cujus ad *Cunaxan* patentibus campis, prælium inter Cyrum Minorem & Artaxerxem Mnemonem, fratres, commiſſum. In quo cum interfectus eſſet Cyrus, Græci difficillimo itinere, per *Carduchorum* montes, *Armeniam* ingreſſi, ad fluvium *Phaſin*, *Scythinorum* campos, *Gymniadem*, montem *Teches*, inde *Colchos*, *Trapezuntem*, *Drilas*, *Moſynœcos*, *Paphlagonas*, emenſi, *Heracleam*, ad portum *Calpes*, *Byzantium*, & ita in Græciam venerunt. Singulari quadam legentis animum voluptate ejuſmodi profectiones exhilarant, cum quaſi intereſſe antiquiſſimis illorum Heroum facinoribus videamur & omnia coram intueri. Quid enim ALEXANDRI Magni expeditio fuit, niſi univerſalis quædam antiqui orbis luſtratio, quem ad ultimos Indorum fines, quod nemini Regum hactenus contigerat, horribili celeritate, fulminis in morem, pervaſit? Quid *Granico* Phrygiæ amne famoſius, ubi in adverſa ripa ſtantibus Perſarum copiis, primum fortunæ ſuæ experimentum Macedo fecit? Hinc *Sardes*, *Epheſus*, *Miletus*, *Halicarnaſſus*, tota *Lydia*, *Pamphylia*, *Piſidia*, *Phrygia*, *Paphlagonia*, *Cappadocia*, *Caria*, in deditionem venere, & quanquam *Cydnus*, limpidiſſimus & frigidiſſimus *Ciliciæ* fluvius, hanc victoris celeritatem ſiſtere vel abrumpere conaretur, Philippi tamen Medici fideli & felici manu reſtitutus, in montium anguſtiis ad *Iſſum*, qua in Syriam itur, ipſum Darium ingenti prælio ſuperat ac totum Orientem ſibi aperit. Hic, cum certatim reliquæ urbes à Perſis deficerent, *Tyrus* & *Gaza* auſæ reſiſtere, aliquandiu Macedonum arma fatigarunt, donec juſtam obſtinationis pœnam, excidium & deſolationem reportarent. Rectius Jaddua, ſummus *Iudæorum* ea tempeſtate Pontifex, victoris iracundiam venerabili Majeſtate, & longo Sacerdotum ordine, temperavit, cum etiam imminere Perſico Imperio fatalem terminum, ac Macedonibus ſummam dominationem deberi, ex Danielis volumine, oſtendiſſet. Hinc *Ægypto* expugnata, cum Dinocrates montem *Athon* in urbis formam ſe exciſurum artificioſius quam commodius promiſiſſet, *Alexandriam* meliori auſpicio condidit, quæ impoſterum caput Imperii Macedonici fuit. Penetrata quoque interior *Africa*, & Jupiter *Ammon*, in mediis *Libyæ* arenis, conſultus. Quibus peractis, ad *Euphratem* & *Tygrim* reditum, ac ultimo, inter *Arbelam* & *Caugamelam*, prælio, de Imperio Aſiæ certatum. Quo victor, *Babylonem*, *Suſas*, *Uxios*, *Perſepolim*, *Ecbatanam*, & quicquid urbium Perſicarum, in deditionem accepit, nulla clade, niſi ad *Suſiadas* portas & in *Scythia* perculſus. Male vero ſit Thaidi, infami ſcorto, quæ temulentum, ad *Perſepolis* incendia, impulit, cum qua innumeræ opes, ſed imprimis Perſici Imperii monumenta omnia, conflagrarunt. Extant hodieque rudera quædam & pyramidum atque columnarum fragmina apud *Sciraz*, ex quibus de magnificentia urbis ac ſplendore palatiorum, judicari poteſt. Neque *Bactriani*, neque *Hyrcani*, ferociſſimæ gentes, impetum Macedonum ſuſtinuerunt. *Mardi*, *Parthi*, *Arii*, *Drangiani*, *Ariaſpi*, *Arachoſii*, *Cedroſii*, *Parymi*, *Parapomaſadæ*, *Adaſpii*, & quicquid ferarum nationum Caucaſo & Caſpio mari adjacet, victoriæ pars atque triumphi acceſſio fuerunt. Omitto difficillima per ſiticuloſas regiones itinera, cum in *Suſianorum* deſertis, ipſe Imperator, pene cum exercitu, caloribus conficeretur. Veniſſe eo tempore in caſtra Thalæſtrin ſive Minothæam *Amazonum* Reginam & regio concubitu uſam, ſunt qui referant ſcriptores cætera fide digni. Ea gens fœminina & bellatrix ad fluvium *Thermodonta*, in *Themyſcyræ* ſupra Cappadociam campis, collocatur, ambigua fide, præſertim cum nulla poſt Alexandrum, ut neque diu ante, earum memoria extiterit, ſive quia

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8603, [15] - 9
PUBLIC DOMAIN

vicinorum conſpiratione penitus deletæ, ſive, quod potius crediderim, quia nullæ unquam fuerunt. Inde *Oxo* & *Tanai*, ad utrumque Caſpii maris latus, ſuperato, in Scythiam penetratum. *Sacæ*, *Sogdiani*, *Choraſmii*, *Dahæ*, non abſque ingenti periculo, domiti. Vulneratus ipſe Alexander ad *Cyropolim*, quam urbem hodie *Schirwan* vocant. Neque cum barbaris tantum nationibus pugnandum fuit: ipſa natura, ipſi ſcopuli & rupes & petræ & inacceſſa montium, qualis in *Sogdianis*, *Siſimethræ*, *Chorionis* & *Aorni*, majori fortuna, quam conſilio, expugnabantur. Sic cum omnes Scytharum populos, vel ſuperaſſet armis, vel perterruiſſet, converſo in Auſtrum exercitu, *Indiam* invaſit. Hic ampliſſimis *Cleophidis*, *Omphis* ſive *Taxilis*, *Abiaſaris*, *Sophitæ* & *Phegei* regnis potitus, *Porum* ſive *Firuzum* fortiſſimum Indorum Regem, eumque potentiſſimum, ſuperavit victumque in gratiam recepit & regno donavit. Ac niſi milites bello armiſque feſſi vel invitum retraxiſſent, quicquid porro terrarum ac Oceani, immenſa ambitio ejus pervaſiſſet. Hæc igitur Alexandri expeditio Geographiam, immane quantum, auxit & illuſtravit. Nihil enim ante illa tempora de Indis & regionibus ſupra Caſpium mare, niſi obſcura fama & incerta, Græci cognoverant. At nunc & gentium urbiumque nomina, & locorum poſituram, quicquid denique memoria dignum, Macedones aperuerunt. Nam ſola inter Hydaſpen & Hyphaſin ſive Hypanin regio, non quidem gentes quindecim, ut Plutarchus, ſed novem, urbes vero quinque mille, Co Meropide non minores, habuit, ut ex Apollodoro, rerum Patriarcharum ſcriptore, Strabo refert, quanquam hoc ipſi περὶ ὑπερβολὴν dictum videatur, unde Plinius, de univerſo, Indiæ ab Alexandro domitæ tractu, hoc intellectum voluit. Ita cum duodecim aris, perpetuum ad poſteros monumentum, ſtructis, expeditioni finem impoſuiſſet, Oceanum ingreſſus, copias per Carmaniam & vaſtas ſolitudines *Babylonem*, domitis obiter *Coſſæis*, reduxit, eamque urbem potentiæ Macedonicæ caput, unde in omnia Imperium facere conſtituerat, niſi præceps fatum illis deſtinationibus interceſſiſſet. Atque hæc illa fuit ALEXANDRI expeditio, ad veterum Geographorum ſcripta intelligenda, imprimis utilis atque etiam neceſſaria. Totius enim orbis facies illis temporibus ferè immutata fuit. Quippe in Germania Oceanus ingentem inundationem fecit, ac ut videtur, *Scandinaviam*, continenti avulſam, in tot inſulas, diſtraxit, quas hodieque in *Codano* ſinu ſitas, ad *Daniam*, *Sueciam* & *Norwegiam*, videmus. Hujus eluvionis mentionem facit Ariſtoteles III. Eudæmiorum cap. 1. quam Strabo haud ſatis circumſpecte, negat. Nam quod dicit, Cimbros etiam poſtea illam Cherſoneſum incoluiſſe, id nihil vel parum ad rem facit. Non enim univerſa gens vel regio, ſive diluvio abſorpta fuit, ſive inundatione ſedibus pulſa, ſed maxima tantum pars; reliqui in antiqua patria perſiterunt. Ex profugis, illa ingens *Cimbrorum* multitudo fuit, quæ victricibus armis magnam Europæ partem pervagata, tandem in Italiæ clauſtris, à C. Mario penitus delata eſt. At vero qui manſerunt in Germania *Cimbri*, duplices erant, mediterranei & maritimi, quos peculiari nomine *Sugambros* ſive *Sicambros* appellarunt. Strabo triplices facit Συγάμβρους, Κίμβρους & Κίμβρους χερρόνησον οἰκοῦντας. Sicut igitur Cimbrorum migrationes Germaniam, ita Macedonum & Græcorum coloniæ, Orientem immutarunt. Struxit enim paſſim Alexander ejuſque ſucceſſores in remotiſſimis oris, novas urbes ac opportunis locis ad continendos in officio barbaros, militum præſidia diſpoſuit. Nam præter *Alexandriam* Ægypti, plurimas alibi urbes, maxime in limitibus novi Imperii, condidit, inter quas ad portas Caſpias & Tanaim *Alexandria*, quam eandem putant, quæ hodie *Derbent* Perſis, *Temircapi* Turcis & Tartaris vocatur, quanquam hæc non ad Tanaim, ſed rivum quendam obſcurum, quo *Schirwan* à *Tartaria* Dageſtana ſecernitur, ſita ſit. Sed antiqui nomina fluviorum, præſertim barbara, non adeo accurate diſtinguunt, ſicut etiam *Tanaim* cum Oxo & *Iaxarte* frequenter confundunt, & *Araxem* nunc in Babylonia vel Perſide, nunc ad mare Caſpium locant, ubi hodieque *Aras* vocatur, ſicut *Cyrus* Cor. Multa enim antiqua nomina, etiam inter tot mutationes, ad noſtra tempora perſeverant. Quemadmodum Plinius teſtatur, *Iaxartem* ab accolis *Silyn* vocari. Hodie *Sihun* nominant, unde in Plinio pro *Silyn*, levi unius literæ mutatione, legendum putarim *Sihyn*. Sic *Maracanda* eſſe *Semirkand*, affinitas nominum & locorum, dubitare nos non ſinunt, quanquam aliqua in ſitu differentia videatur eſſe, quia *Maracandam*, antiqui cis, recentiores uls Oxum collocant. Sed id adſcribendum negligentiæ veterum, quibus remotiora illa non adeo exactè cognita fuerunt, ac quam fallaces ſint Ptolemæi numeri etiam alibi in propioribus, è magis exploratis, multi jam prolixè oſtenderunt. De *Bactris* major quæſtio, quorum etiam nomen ſatis cum *Buccara* hodierna conveniat, tamen multa arguunt, non hanc, ſed *Balach*, celeberrimam nunc Uſbeccorum metropolin eſſe. Sed de his alia occaſione, ubi comparatio antiquæ & novæ Geographiæ inſtituenda, prolixius & ex profeſſo. Multas paſſim & alias *Alexandrias*, tum in India *Nicæam* & *Bucephalam*, ſtruxit eumque ſecuti Reges, alii *Ptolemaidas*, *Berenices*, *Arſinoas*; alii *Antiochias*, *Seleucias*, *Antigonias*, *Lyſimachias*, *Pellas*, *Apamias* condiderunt. Unde & lingua per univerſum Imperium ſparſa, quod Seneca conſol. ad Helviam obſervavit: *Quid ſibi volunt in mediis barbarorum nationibus Græcæ civitates? Quid inter Indos Perſaſque Macedonicus ſermo?* Neque mirum videri debet Perſarum ſermonem hodieque, tot Græcis vocabulis, refertum,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8603, [16] - 10

refertum, quæ non tam à communi utriuſque linguæ, ex Scythica, origine, quam ex hac Perſarum, Indorum Macedonumque commixtione, nata ſunt. Quod vero Nicephorum in Eccleſiaſtica Hiſtoria vult: Aſſyriorum Coloniam in *Æthiopiam* ſive *Abyſſinam* ab Alexandro ductam; id cæteris ejus, quas frequentes habet fabulis, accenſendum eſt. Non enim hoc tacuiſſent ſcriptores rerum Alexandri, quos, ſi quiſquam alius, frequentes pariter & diligentes habuit. Fefellit, vel eum, vel ex quo id hauſit, profectio Alexandri ad templum Jovis Hammonis, quod longe ab illa Abyſſina remotum, nec coloniam ibi, quantum conſtat, reliquit, multo minus Aſſyriorum. Id tamen certum eſt, *Abaſenos* Aſſyriorum ſive Chaldæorum coloniam eſſe, vel potius Arabum. *Abaſeni* enim in Arabia Felice à Stephano collocantur unde trajecto Mari rubro in Æthiopiam venerunt, quemadmodum cum ex linguæ affinitate, tum ex Hiſtoriis, ut in Chronologia propediem oſtendemus, patet. Stante Monarchia Macedonum, BABYLON veteris orbis princeps civitas paulatim à vicina ad Tigrim *Seleucia*, quam Nicator ſtruxerat, exhauſta & in ſolitudinem redacta fuit, ut de ipſa, quod de Megalopoli Arcadiæ, dici potuerit: Ἐρημία μεγάλη ἡ Βαβυλών. *Ninive* autem ſive *Ninus*, dudum à Nabopolaſſare & Cyaxare deſtructa, iterum poſt aliquot ſecula emerſit & Ammiani Marcellini tempore, magna urbs fuit. De qua lib. XVIII. inquit: *Ninive Adiabenæ ingenti civitate tranſmiſſa.* Ubi & primævum nomen, quod poſtea in *Ninum* detortum, habemus, & quod Ammiani adhuc ævo ingens civitas fuerit, in *Adiabene* ſita. Ita enim Aſſyriam, à præcipua ejus parte in qua fluvius Lycus & Ninive, tum appellabant, quod hodie in *Aderbeitzanam* corruptum. *Tetrarchiarum* nomen poſt Alexandri demum tempora, cum *Galatæ* in Aſiam migraſſent, emerſiſſe videtur. Non enim antiquiòr earum extat memoria. Theſſalia habuit illa quidem ſuas πτερίδας, quod Græcarum Originum author his verbis teſtatur; Τετράρων μερῶν ὄντων τῆ Θετταλίας, ἕκαστον μέρος πίτρας ἐκαλεῖτο. Ὀνόματα δὲ φάσαν εἶναι ταῖς πτεράσι, Θετταλιῶτιν, Φθιῶτιν, Πελασγιῶτιν, Ἀσιῶτιν, & antiqua circa Olympum & Oſſam Doris, πτερόπολις initio, poſtea demum τέτπολις fuit; nondum tamen Tetrarchiæ, vel Tetrarcharum nomen, auditum. Initio *Galatæ*, quorum nationes tres, *Trocmi*, *Toliſtobogii*, & *Tectoſages*, à Nicomede Bithynorum Rege, *Paphlagoniam* obtinuerunt, quæ *Galatia*, *Gallo Græcia* vel *Græco Gallia* dicta, quoniam Græci Galatis mixti. Et quanquam duo tantum ipſorum Principes, Leonorius & Lutharius, nihilominus regionem in tres partes diviſere, ita ut Trocmorum *Ancyra*, Toliſtobogiorum *Tabia*, Tectoſagum *Peſſinus*, caput eſſet. Deinde *Galatia* in *Tetrarchias* ſive quatuor Dynaſtias diviſa fuit, quas Cn. Pompejus victo Mithritate VIII. Eupatore Dionyſio, denuo confirmavit. Illi Tetrarchæ, utebantur quidem Regio nomine inter ſuos, atque etiam à Romanis ita appellabantur, quibus ſolemne fuit, habere inſtrumenta ſervitutis etiam Reges, ſed propter virium debilitatem, nihili fiebant. Quotieſcunque igitur alicujus regni nimia erat potentia & ſuſpecta, id dividebatur in *Ethnarchias* ſive *Tetrarchias*, nunc adempto, nunc relicto Regio nomine. Ita Magno Herode mortuo, cum Judæa ab Auguſto factum, quæ ſuos Ethnarchas, Tetrarchas atque etiam Reges, ſed imminutis viribus, habuit. Unde Tetrarcha idem quod Regulus vel Dux. Sic *Ituræa* quoque Tetrarchia fuit, ut de aliis nunc nihil dicam. Præter maximas illas Imperii Macedonici urbes *Alexandriam*, *Antiochiam*, & *Seleuciam*, *Dioſcuria* quoque in Colchide clara admodum ſub Regibus Ponti fuit, in quam trecentas, quæ diſſimilibus uterentur linguis, nationes, deſcendiſſe, deinde à Romanis centum ac triginta Interpretibus negotia ibi geſta fuiſſe, Plinius refert, cujus tamen ævo jam deſerta jacuit. Quicquid nimirum nationum mercaturam in Ponto Euxino faciebat, *Dioſcuriam* celeberrimum emporium confluxit, quemadmodum ante ſecula aliquot *Theodoſia* ſive *Capha* Tauricæ & *Tanais* Scythicorum commerciorum ſtabula fuerunt, in cujus hodie locum *Aſſow* ſucceſſit.

Omnium maximam Orbi mutationem attulit ROMANA potentia. Quippe quicquid terrarum à Sarmatis & Danubio ad Euphratem & Æthiopiam ſitum, id omne in Romanos mores linguamque tranſivit. In Græcis Provinciis relictus quidem ſermo Græcus, ſed cum Præſides Romani illo communi ſermone, quem Macedones reliquerant, jus dicerent, Dialecti omnes plane conciderunt, quarum uſus vulgo planè abolitus, adeò ut docti ex ſcriptoribus Atticis, & aliis qui pure ſcripſerant, Helleniſmum ſuum haurire cogerentur. Hujus Imperii caput fuit ROMA, omnium quæ fuerunt unquam, atque etiam erunt (quicquid recentiores imprimis Pinto Luſitanus de *Paquin*, ſive ex vero tradant, ſive fabulentur) urbium magnitudine, ſplendore, cultu atque incolarum multitudine, princeps. Quam rerum Romanorum ſcriptores, à Romano & Remo, prædonibus, ipſis Palilibus, conditam referunt; alii jam ante ab Arcadum manu cœptam, ac ῥώμῃ, ſive *Valentiam* Latine dictam volunt. Infinitum eſſet omnes ejus caſus & quibus ſuccreverit incrementis, aperire. Quod ab aliis copioſè & ex profeſſo factum. Id nunc ſatis fuerit obiter meminiſſe, cum paulatim totam Italiam ſui juris feciſſet, finito primo bello Punico, Coſſ. Q. Lutat. Cercone & A. Manlio Torquato, *Siciliam*, *Sardiniam* & alias inter Italiam atque Africam *Inſulas* acceſſiſſe. Deinde omnem à Pyrenæis montibus ad Gades, Hiſpaniam, Pœnis ejectis, P. Cornelius Scipio ſubegit. Et tum demum à Romanis *Hiſpaniæ* nomen toti *Iberiæ* tributum eſt, teſte Euſtathio

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8603, [17] - 11
PUBLIC DOMAIN

Dionysii Afri Scholiaste. Quæ etiam *Spania* ab Apostolo Paulo, Galeno aliisque, curtata voce, dicta. *Macedoniam* L. Æmylius Paulus, *Dalmatas* P. Corn. Scipio Africanus, *Africam*, excisa funditus Karthagine, *Achaiam* L. Mummius, deleta *Corintho*, P. Corn. Scipio Nasica Serapion & D. Junius Brutus *Lusitaniam* & *Gallæciam*, *Asiam Minorem* M. Perpenna *Balearides* & *Cretam* Q. Cæc. Metellus, *Allobroges*, Q. Fab. Max. *Cyprum* M. Cato Uticensis, *Syriam* Cn. Pompejus, *Gallias* C. Jul. Cæsar, perdomuerunt. Victo deinde Juba, Romani *Libyam* in *veterem* & *novam* distinxerunt. *Vetus* vocata, quam olim Karthaginensibus, *Nova*, quam Jubæ ademerant, quæ & *Numidia*. Sicut & post mortem Bocchi *Mauritania* tota in provinciæ formam redacta, Augusto T. & L. Vulcatio Tullo Coss. mox etiam *Ægyptus*. *Italia* vero ab eodem Augusto divisa in *suburbicarias* & *annonarias* regiones. Quarum illæ *Romam* & quicquid intra centesimum milliare; hæ reliquam Italiam complectebantur. Tum etiam mos census agendi, in Provincias introductus, unde quanta populi multitudo ac copia, innotuit. Nam sola urbs *Roma* XLI. centena & LXIV. CIↃ. civium habuit, teste Eusebio in Chronico, quem numerum Suidas falso ad totum Imperium retulit. Neque prætereundum est, A. V. IↃCC. X. C. Cæs. & M. Antonio Coss. missos à Senatu Romano, qui totum orbem dimetirentur, insumtis in eam rem, ut ait Pomp. Mela, annis XXI. mens. V. diebus novem, vel secundum Æthicum, annis XXXII. Zenodotus omnem *Orientem*, Theodotus *Septentrionem*, Polycletus *Australia*, metitus est. Incredibile dictu, quantam Orbi mutationem Romana potentia attulerit. Excisæ urbes nationesque & in earum loca conditæ aliæ. Nullus tam remotus Imperii angulus, in quo non Romanæ coloniæ sedes fixerint, quas enumerare omnes, instituti operis modus non permittit. Imperatores in muniendo potius contra Barbarorum irruptiones limite, quam extendendo Imperio occupati fuerunt. *Batavi* in P. R. societatem & fraternitatem admissi, *pars*, ut ait Tacitus, *Imperii facti sunt*. *Suevorum* & *Sicambrorum* CCCC. millia, Tiberius in Rheni Gallicam ripam transtulit & ad *Vahalim* locavit. Unde nulla eorum inter Germanicas gentes imposterum mentio. Translati nimirum fuerunt, vel omnes, ut Suetonius & Tacitus volunt, vel maxima eorum pars, ut Strabo. Qui relicti, amisso veteri nomine, aliis nationibus accensebantur. Unde intelligimus, Ptolemæum tabulis ante illam Sicambrorum deportationem scriptis, usum, in quibus ad Rheni ripam dextram, id est in Germania, adhuc locantur. *Rhætia*, *Vindelicia*, *Noricum*, *Frisii*, *Usipetes*, *Cherusci*, à Druso subacti, qui per Rheni ripam quinquaginta amplius castella, usque in Oceanum, direxit. Ex quibus castellis, Ammianus, Orosius, Diaconus & alii, Burgundorum originem deducunt, manifesto errore. Fuit enim gens illa inter Lygios, Semnones, Rugios, Herulos & antiquissima & celebris. Tiberius *Chaucos*, *Caninefates*, *Attuarios*, *Bructeros*, Augustus *Astures* & *Cantabros*, qui soli hactenus Hispanorum Romana arma contemserant, & in Africa *Marmaricam*, *Libyam*, *Garamantes*, domuit. Interea Maroboduus *Marcomannes*, *Seduſios*, *Harudes* à Rheno & Mœno in *Bojohamum*, *Bojis* non regno tantum, ut M. Velserus vult, sed & regione pulsis, traduxit. *Boji* autem ex *Bojohæmo* in *Norici* & *Vindeliciæ* partem, ad *Ænum* concessere, ubi *Bojoaria* constituta. Et ab hoc Bojorum trajectu dictum est *Bojodurum*, non vero à Tolistobogiis, qui jam tempore Alexandri Magni in Græciam transierant. Postea *Boji* ex Vindelicia in *Nariscorum* terras, regressi sunt. In Bojohæmo *Harudum*, *Seduſiorum*, *Zumorum*, *Gutonum*, *Mugilonum*, nominibus mox extinctis, soli *Marcomanni* remanserunt, quorum, ut & *Suevorum* ac *Hermundurorum* partem, Tiberius ad *Marum* & *Cusum*, ubi nunc Transylvania, constituit, qui inde in unum *Quadorum* nomen, coaluerunt, ac Daciæ quoque partem occuparunt. Quare miratus fui semper illorum curiositatem, qui cum audiunt *Saxones* in media Pannonia & Dacia, eos sive à Carolo Magno in illa loca demum translatos, sive miraculo, ab *Hammelenſium* pueris (nota est fabula) originem traxisse, volunt. Sunt enim illi in Dacia Germani *Quadorum* reliquiæ ac *Weſtphalorum*, quod etiam ex Eutropio discimus, qui *Taiphalos*, *Victophalos*, *Tervingos*, Daciæ populos facit. Cum quo consentit Ammianus Marcellinus, ut nihil de *Gottis*, *Gepidis*, *Longobardis* dicam, qui in illis oris diu regnarunt. In Oriente *Iudæa*, Archelao Viennam relegato, provincia facta & Syriæ annexa. Eadem fortuna *Tetrarchiæ* Philippi, *Trachonitis*, *Auranitis* & *Bathanææ*. Sub Nerone *Gaza* instaurata, quod celebre imposterum emporium, recipiendis, quæ ex Arabia Felice, camelis eò deportabantur, mercibus. Etiam *Karthago* & *Corinthus*, jussu Julii Cæsaris, restitutæ, quod situ & portuum commoditate, ad commercia exercenda, Imperio utilissimæ viderentur. Et sic negotiatores, qui Corintho excisa Delum migraverant, eò remearunt, magnaque utriusque urbis imposterum fama & celebritas fuit. Longinqua tum à Romanis, usque in Indiam, mercatura exercebatur. Navigabant per Sinum rubrum, maximis classibus, cum ante illa tempora, ne viginti quidem navigia eum transire auderent, ut Strabo testatur. Atlanticus autem Oceanus ferè inaccessus erat, atque etiam novus Orbis, quem Americam dicimus, nisi quidam extra Gades tempestatibus eo abrepti forte credantur. De quo in Originibus Americanis actum. *Iudæi* à Vespasianis, *Hierosolyma* deleta, penitus excisi, residuis hinc inde per orbem sparsis. Quam populosa tum ea gens fuerit, exinde patet, quod Josephus scribit: *Nullum fuisse adeo parvum oppidum*

aut

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8603, [18] - 12
PUBLIC DOMAIN

aut vicum Galilææ, in quo non reperiuntur millia quindecim habitatorum, Galilæa autem urbes pagosve ducentos & quatuor habebat, teste eodem in vita sua. De *Hierosolymorum* magnitudine simulque gentis, id indicio est, quod scribit; *ad pascha celebrandum ibi convenisse virorum purorum & sanctorum myriadas* cc. lxx, hoc est, vicies septies centena millia. Eodem tempore *Achaia, Lycia, Rhodus, Byzantium, Samus, Thracia, Cilicia, Comagena*, quæ hactenus liberæ, in provincias redactæ, & tum *Alani, Caspiis portis* effusi, *Mediam, Armeniamque* vastarunt. Hi sunt illi *Alani*, quos postea *Turcas* ac *Tartaros* vocarunt. Populi nimirum supra Pontum, Caucasum & mare Caspium ad Tanaim & Rha sive Volgam, quos hodie *As* sua lingua appellari, scribit Josephus Barbarus in Itinerario. Omnium amplissimi Romani Imperii limites sub M. Ulpio Trajano fuerunt, qui *Daciam, Armeniam, Assyriam, Mesopotamiam* & quinque Provincias transtigridanas, potentiæ suæ subjecit, tum *Iberos, Sauromatas, Bosphoranos, Arabas, Osdroënos, Colchos, Adiabenos, Marcomedos, Persas*, perterruit, ac in ipsam *Indiam*, Alexandri Magni æmulatione, expeditionem moliebatur. *Marcomedi* vocantur *Medi* limitanei versus Armenos, quæ & *Media* Atropatia, postea Armeniæ pars. *Marc* enim limes Germanica lingua, ac forte etiam Medica. Nisi tamen *Mardo-Medi* legendum sit. Fuerunt enim *Mardi* Colchis Mediscque vicini, ut ex Plinio patet. Sed non diuturna hæc Imperii amplitudo; mox enim ad antiquos terminos, Euphratem, ab Hadriano reductum fuit, & in Britannia, murus contra *Pictos* ac *Caledonios*, per octoginta millia passuum, ductus. Idem ex ruinis Hierosolymorum *Æliam* Capitolinam excitavit, quod nomen imposterum, veteri penè abolito, perduravit. Multa quidem Judæi pro instauranda Republica sua moliebantur, Duce impostore quodam *Barchochab*, sed frustra omnia. Hadrianus enim in Judæa quinquaginta castella; vicos nongentos & octuaginta, evertit, ac quingenta octuaginta millia hominum trucidavit. Rebellium præcipua urbs & novi quasi regni sedes caputque *Bethoron* fuit, quam Rabbini *Bitter* vocant. Et ab eo tempore vetita Judæis Palæstina, imprimis Hierosolyma fuit, quam non nisi semel in anno, ipsis adire concessum. Ac ut omnes provincias rectius cognosceret Adrianus, pedes nudoque capite universum Imperium obivit, cumque *Pelusii* monumentum Cn. Pompei, honoris ergo, instaurasset, *Athenis* munifice ornatis, *Vscudum* Musiæ urbem, delectatus amœnitate loci, *Adrianopolim* appellavit, quæ hodieque *Adrina* Turcis. Inde M. Antoninus Plinio, *Quadis, Marcomannis, Iazygibus, Sarmatis*, interceptione Christianorum Legionis Melitinæ Κεραυνοφόρου victis, infinitos in solo Romano locavit. Sub hoc ultima fit *Naristorum* mentio, apud Dionem & Capitolinum. Posteriori ævo Tabulæ Itinerariæ *Armalausos* in eorum sedibus locant, quod nomen Germanicum esse reor, quasi *homines pauperes* dicas: est enim tractus ille asper ac sterilis hodieque. Sic *Nortluidi* à medii ævi scriptoribus, *Normanni*, vocantur. Ejusdem Philosophi Antonini ævo, *Gothi, Aslingi* memorantur à Dione, quorum etiam Jornandes meminit. Ecloga Historiæ Petri Patricii *Aslingos* & *Lacringos* recenset. *Alemanni* quoque tum primum auditi. Nam Caracalla se *Alemannicum* vocavit. Fuerunt tamen etiam ante illa tempora, imo Strabonis ævo noti, quippe quos Asinius Quadratus definivit: quod essent homines ξωϊλιδες καὶ μιγάδες, teste Agathia. Originem traxerunt à confluge Gallorum, in vacuas ad Rhenum Mœnumque Marcomannorum, Harudum, Seduliorum agros, cum in Bojohæmum, Duce Maroboduo, ut dictum, migrassent; & inde dicti *Allemanni* quasi omnis generis homines, sicut hodieque Helvetii, publica pascua *Allmend* vocant, quippe omnibus patentia. M. Julius Philippus Arabs urbem *Botzram Philippopolin* nominavit. Jamque non per partes, sed conspiratione facta, quicquid Barbararum gentium, eoque instantiores jam & acriores, se in Romanas Provincias. instar turbinis, conjecerunt. Nam sub Decio, *Gothi, Mœsiam, Thraciamque*, inde *Macedoniam, Thessaliam, Græciamque* pervagati, usque ad *Ephesum* omnia diripuerunt. Eadem sub Valeriano & Gallieno vastitas, ita ut *Thessalonica* ægre se tueretur & *Athenienses*, quod post Sullanam cladem non factum, muros repararent, *Peloponnesis* etiam *Isthmum* munientibus. Inde *Borani, Cotti, Carpi, Burgundi*, velut societate inita, cum omnem *Italiæ* & *Illyrici* oram deprædati fuissent, per *Bosphorum* in *Asiam* penetrarunt, & regressi in *Pontum, Trapezuntem, Chalcedonem, Nicomediam, Nicæam, Cium, Apamæam, Prusam, Templum* Dianæ Ephesiæ, expugnant, diripiunt, incendunt. Donec *Cæsaream* Cappadociæ capta, in antiquam patriam, id est, Tauricam Chersonesum, & Minorem Scythiam, remearent, plerisque tamen naufragio submersis. Sub Fl. Claudio *Scytharum* diversi populi, *Grutungi, Austrogothi, Peucini, Virtingi, Sigipedes, Celtæ, Heruli*, exercitu trecentorum millium, in provincias Romanas, irruperunt, & apud *Martianopolin, Byzantium, Thessalonicam*, victi, servis militibusque Imperium impleverunt. Qui evaserant *Cretam Cyprumque* aggressi sunt. Ubi notandum obiter, à *Celtis*, qui hic memorantur, quos Ammianus Marcellinus juxta *Petulantes* collocat, *Gelros* videri ortos, sicut à *Petulantibus* illi, qui *Peelanders* hodie in Brabantia vocantur. Francorum prima mentio in Probi ætatem incidit. Nam apud Ciceronem Lib. xiv. ad Atticum legendum non *Francones* sed *Fangones*, jam alii observarunt. Hujus Gentis origo incerta est, probabile tamen, populos Germaniæ à Romanis oppressos, conspiratione facta, in libertatem se vindicasse, & ab eo conatu, cui successus non defuit, *Francorum*, id est, liberorum hominum nomen, sibi imposuisse: idque inter Caracallæ & Probi tempora

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8603, [19] - 13
PUBLIC DOMAIN

factum. Itaque non unius hoc populi nomen, sed plurium, quos volunt fuisse *Bructeros*, *Chamavos*, *Ansibarios*, *Cattos*, *Vsipios*, *Teucteros*, *Frisios*, *Dulgabinos*, *Chassuarios*, *Angrivarios*, inter Albim & Rhenum latissime habitantes. Iisdem temporibus universa Scythia, continuis invasionibus, Romanos limites perfringere tentavit, quanquam frequenter maxima suorum strage repulsa. Probus *Marcomannorum*, *Suevorum*, *Sarmatarum*, qui Placentiam usque progressi fuerant, trecenta millia cecidit, reliquos ultra *Nicrum* & *Albim* submovit, & centum millia *Bastarnarum* in Romano solo constituit, nec non ex *Gepidis*, *Gautunnis*, *Vandalis*, innumeros. *Bagaudarum* nomen sub Diocletiano auditum, quo tempore etiam *Saxones* maria infestarunt, *Franci* autem, facta ad Carausium defectione, *Bataviam* occuparunt, & inde, à Maximiano victi, in agros *Nerviorum*, *Trevirorum*, *Lingonum*, *Tricassiorum*, *Ambianorum*, translati sunt. Sequitur maxima Romani Imperii mutatio. Quippe CONSTANTINUS Magnus *Byzantium* Thraciæ urbem, translatis pluribus nobilium Romanorum familiis, eam Novam ROMAM & CONSTANTINOPOLIN appellavit. A quo tempore vetus ROMA paulatim defecit, à Barbaris multoties capta & spoliata. Idem *Nicomediam*, *Antiochiam*, *Hebronem* aliasque urbes, magnifice ornavit, *Hierosolymam* vero, ut jam supra dictum, mater ejus Helena instauravit. Hactenus utcunque repulsi Barbari; at sub VALENTINIANO Romana ipsis potentia passim succubuit. Quippe *Scoti* & *Picti* Britanniam ita afflixerunt, ut Rex Vortegernus *Saxones* Germania evocare coactus fuerit. Qui Duce Hengisto in amœnissimam insulam delati, occupato *Cantio*, inde evocatis suorum pluribus, tandem universam in septem regna distribuerunt, *Cantium*, *Southsexiam*, *Westsexiam*, *Eastsexiam*, *Nordanthumbriam*, *East Angliam*, *Merciam*. Britanni partim in *Aremoricam* ad gentiles suos, partim in altissimos *Cambriæ* montes profugerunt ibique regnarunt. Ita ut Britannia decem tum Regibus subjecta esset. Nam *Scoti* & *Picti* Caledoniam tenebant. Sic cum Saxones Britanniam occupassent, duplex Saxonia, *Vetus* sive Germanica & *Nova* sive Britannica fuit, quod ex Beda manifestum. Longius autem, quam hodie, *Anglo Saxonia* tum extendebatur, nimirum usque ad Firthum Scotiæ. Et hinc est quod omnes qui Australem & Orientalem Scotiæ partem tenent ac *Lawlandmen*, appellantur, sint origine Anglo Saxones & Saxonicè loquantur, distincti lingua moribusque à Scoto Hybernis, qui *Highlandmen*. *Picti*, non ex Scythia huc transvecti, sed veteres Britanni sunt, qui Romanorum arma in accessis montibus suis repulerunt, quorum Dux Galgacus fuit. Eorum autem nomen penitus à Kennetho Scotorum Rege postea deletum fuit. Scoti Origine Hiberni sunt, unde *Hibernia*, olim *Scotia*, dicta, eademque hodie Hibernorum & Scotorum illorum, qui montani sive *Highlanders* vocantur, lingua ac mores. Quod vero plerique scriptores tradunt, omnia Saxonum regna demum sub Egberto West Saxonum Rege circa A. Ch. IↃccc. communi *Anglico* nomine appellata, id falsum est. Semper enim unus aliquis, stante adhuc Heptarchia Regum Anglo-Saxonum fuit, qui Monarchiam in cæteros exercuit & cujus Majestatem cæteri comiter colebant. Hic dictus fuit Rex *Englondiæ*. Igitur Egbertus nomen hoc confirmavit quidem & Heptarchiæ finem imposuit, non tamen primus usurpavit. Cambri interea in montibus uls *Sabrinam* regnabant, quam regionem Rodericus Magnus A. Ch. IↃccc. LXX. in tria divisit regna, Septentrionalem Provinciam, & Australem. Cumque fines Saxonum frequenter invaderent Walli, Offa Rex Merciorum ingentem fossam per montes à Devæ ostio in agro Flintensi, ad exitum Wagæ duxit. Sub eodem Valentiniano, HUNNORUM nomen primum in Europa invaluit. Quæ gens Scythica multas alias nationes, imprimis *Turcos*, *Tartaros*, *Avares*, *Alanos*, complectebatur. Confundunt plerique hos *Hunnos* cum *Vgris* sive *Hungaris*, cum diversissimi fuerint. *Hunni* enim duplices erant, *Orientales* & *Occidentales*. *Orientales* contermini ad Oxum & Jaxartem Persis, alio nomine *Hunni* albi & *Euthalitæ*, apud Texeiram ex Mirkhone *Abtelatæ*. *Abtelah* autem Persica lingua, auream aquam notat. De quo Photius Codice LXIII. ex Procopio videatur. Hi à Rege suo Euthalano, qui & *Gox Nawas*, ita dicti, paulo post superati à Turcis & pulsi sunt, unde imposterum ea regio *Turkestana* dicta. Quod circa tempora Imp. Mauricii factum, ex Theophilacto Simocatta cognoscimus. *Occidentales* sive *Hunni Nigri*, fuerunt Nomades, inculti, moribus feris & barbaris. Hi habitarunt ad paludem Mæotim supra portas Caspias, eo in loco ubi hodie Precopenses & Destenses Tartari, ut ex Procopio patet & Ammiano. Eorum pars *Saberes* dicti, hodie *Tiberi* supra Russiam. Hi igitur Occidentales Hunni ex septentrionali Scythia primo in *Tauricam* migrarunt. Quorum adventu *Gotti*, qui tum ea loca tenebant, exterriti, migrare cœperunt, primo quidem *Westgotti*, divisi in *Grutungos* & *Tervingos*. *Grutungi* Ducibus Hermenrico, Vithimario & Friderico, cum Istrum transirent, à Theodosio omnes deleti sunt. Secutus cum *Tervingis* Athanaricus: quo cum inter Istrum & Borysthenem, ac ne in montibus quidem, ab Hunnis tutos se viderent, diviso agmine, pars sub Alarico, Fritigerno & Safra, pars sub Athanarico ad Istrum concessere, & implorantes Valentis contra immanissimam gentem auxilium, Romanis aliquandiu utilem operam contra Barbaros navarunt. Dicti autem Grutungis deletis, *Tervingi* communi nomine sunt *Westgotti*. Interea *Hunni*, creato Rege Attila, *Pannoniam* occuparunt & toti Occidenti

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8603, [20] - 14
PUBLIC DOMAIN

denti excidium minabantur, ni eorum vim Aetius in *Catalaunicis* campis, ac postea *Aquileæ* obsidio, fregisset. Passim tamen hujus suæ expeditionis vestigia reliquerunt. Nam & in Germania ad *Vogesum* & *Mosellam* habes tractum *Hundsruck*, quæ Ausonio *arva Sauromatum*, non à canibus, sed Hunnis, qui ibi consederunt, & castella *Castelhun*, *Hunoltstein*, *Huntheim*, *Hondshausen*, *Hunenborn*, *Huntsrode*. Sic in *Velavia* castra Hunnorum, quæ *Hunenschans* dicuntur ab accolis, hodieque extant. Neque ex Hunnis modo ille ingens Attilæ exercitus; sed receptæ in commilitium omnes ferè Scytharum & Germanorum nationes, imprimis *Ostrogothi*, *Sarmatæ*, *Quadi*, *Rugii*, *Bastarnæ*, *Marcomanni*, *Bructeri*, *Saxones*, *Gepidæ*. Et hujus tempestatis atrocitatem, cum in Italiam incubuisset, metuentes *Veneti*, continente relicto, in insulas & æstuaria maris Adriatici se conjecerunt, à quibus initiis, florentissima *Venetorum* hodieque, si per Turcas liceat, Respublica, profecta fuit. Cæterum extincto Attila, ejus tres filii, Aladarius, Chaba, Hernao, discordes, *Gepidis* & *Ostrogothis* conspirandi occasionem præbuerunt, quorum Reges Ardaricus & Walamirus, cæsis Hunnis, Chabam cum residuis in Scythiam, veterem patriam, redire compulerunt. Aliqua tamen Hunnorum pars inter *Gepidas*, *Ostrogothos* & *Longobardos*, in Pannonia remanserunt, ac ne invisо nomine premerentur, dissimulata origine sua, *Siculos* se appellarunt, quod ipsorum lingua, *reliquias* significat. Quæ vero de magna urbe *Sicambria* Attilæ Regia & *Buda* ab ipsius fratre conditis, referunt vulgo, incerta sunt. LONGOBARDORUM in eadem tempora migrationes incidunt. Quos, Scandinavia egressos, primo in *Scoringia*, deinde *Mauringia*, deinde *Rugilandia* & *Vandalia*, quam Godigisilus deseruerat, consedisse, & cum olim *Winili* dicerentur, *Longobardorum* nomen à promissis barbis vel telo, quod *Alabardam* vocant, sumsisse, volunt Diaconus, Prosper, Sigebertus & alii. Quæ fabulosa videntur. Celebris enim jam C. Taciti & Ptolemæi ævo *Longobardorum* inter Germanos natio, quanquam tum non adeo magna aut potens. Unde crediderim, si qui Scandinavia egressi, his Longobardis permixtos, in eam multitudinem excrevisse. Quemadmodum *Vandali* quoque, plurimarum gentium colluvies fuerunt. Quippe Godigisilus cum *Vandalis* & *Alanis* Scythia egressus, *Quados*, *Marcomannos*, *Herulos*, *Turcilingos Suevos*, *Alemannos*, *Saxones*, *Burgundos* assumsit, & in Germaniam primam ac Belgicam secundam effusus, immani hominum urbiumque strage facta, *Lugdunensem* & *Narbonensem* Galliam insedit. Inde in *Hispaniam Bæticam*, quæ *Vandaluzia* dicta, ex ea in *Africam*, Genserico Rege, migrantes, *Numidiam* & *Africam* Minorem occuparunt, quod Vandalorum Regnum fuit, regia sede, *Karthagine* posita. *Alani* vero ipsorum socii, in *Lusitania*, *Suevi* in *Gallætia*, *Burgundiones* in *Gallia*, manserunt. Cujus gentis, cum varia hactenus fortuna fuisset, tandem sedes quietas obtinuerunt. Nam antehac à *Gepidis* gravissimè cæsi, relictis terris suis, in *Chattorum* solo, prope Alemannos, trans Mœnum, postea *Alemannis* in Rhætiam & Helvetiam transgressis, in eorum agro inter *Mœnum*, *Rhenum* & *Danubium*, & demum ab Hunnis Alemannia pulsi, Vandalisque juncti, in *Gallia* consederunt & in parte *Lugdunensis* ac *Narbonensis* regnarunt, sede regia aliquando *Arelati*, subinde *Augustoduni*, postea *Cabilloni* tandemque *Divione* posita. Fatalis imprimis Romanæ dominationi GOTTORUM potentia fuit. Qui, sive ex *Scandinavia*, gentium vagina, egressi, sive in patentissimis Scythiæ campis ad Vistulam habitantes & iidem cum Getis, tandem in *Taurica* Chersoneso ad *Tanaim* & paludem *Mæotidem*, consederunt, divisi pro situ locorum in *Visigothos* sive *Westgottos*, quibus Balthi, & *Ostrogothos*, quibus Amali, dominabantur. Inde non sustinentes, ut dictum, Hunnorum impressionem, in Romanas Provincias infusi Ducibus Alarico & Rhadagaiso, quem cum ducentis, vel ut alii volunt, quadringentis millibus in *Fesulanis* Apennini augustiis Stilico circumseptum cepit, tanta captivorum vilitate, ut singulis aureis passim greges hominum venderentur. Moxidem Stilico *Vandalos*, *Alanos*, *Suevos*, *Gothos*, *Hunnos*, invadere Imperium jussit, Ab his *Galliæ* & *Hispaniæ* direptæ. Alaricus vero ipsam *Romam* cepit: cujus successor Athaulfus ab uxore Placidia Honorii sorore persuasus, in *Galliam* Narbonensem, & triennio exacto, *Hispaniam* Westgottos duxit, posita *Barcinone* Regia sede. Postea Honorius pace cum Wallia inita, ipsi sedes in *Aquitania* secunda à *Tolosa* usque ad Oceanum assignavit, ut scribit Idatius. Unde Gottici regni caput aliquandiu *Tolosa* fuit, eaque regio *Gallia Gottica* dicta, sicut à Gottis & Alanis Hispaniæ pars *Gottalania*, unde Cataloniæ nomen hodiernum fluxit, & *Languegothiæ*, quam recentiores *Languedociam* dixerunt. Ex Gallia in Hispanias transgressi Westgotti *Alanos* ac *Suevos* ex *Lusitania*, *Vandalos* ex *Bætica* pepulerunt, ac universa Hispania potiti sunt, Regia *Toleti* posita. Neque ea contenti, inde *Mauritaniam* Tingitanam subegerunt, quæ *Gottia* transmarina. *Franci* eo tempore in *Thoringia* hærebant, quæ Rheno contermina. Unde intelligimus omnes ab Albi ad Rhenum Provincias *Thoringiam* fuisse. Sedes Clodionis, qui Pharamundi successor, *Disperga*, hodie Cliviorum urbs. Ipsa regio, *Terra Salica*, à Saliis Francorum gente, unde & fossa Drusiana *Isalæ* nomen obtinuit & *Sala* præcipuum Thoringiæ flumen. Ac supereſt etiamnum *Sallandia*, Transisalaniæ princeps tractus. Is Clodio Francos ex Germania in Galliam Belgicam duxit, ac usque ad *Somonam*, omnia juris sui fecit. Eum secutus Meroveus, *Axonam* tenus penetravit ac *Tornaco*, *Cameraco*, *Rhemis*, *Parisiis*, *Suessionibus*, *Aureliano*, *Agrippina*, *Trevirisque*, potius, unam

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8603, [21] - 15
PUBLIC DOMAIN

ex Francis Galliſque gentem fecit, neque ante quieverunt ejus ſucceſſores Merovingi, quam Romanis pariter ac Weſtgottis pulſis, univerſa, quam late patet Gallia, potirentur. Poſt deſtructam in Pannoniis Hunnorum potentiam, Ardaricus Gepidarum Rex *Daciam*, Oſtrogothi *Pannoniam*, Alanorum pars *Mæſiam* inferiorem, à Leone Imp. acceperunt. Tum Odoacer *Turcilingorum*, *Herulorum*, & *Rugiorum* (quæ gentes à ſinu Codano ad Danubium, ubi *Rugilandia*, migrarunt) ingenti multitudine in Italiam ducta, pulſo Momyllo Auguſtulo, ejus ſe Regem nominavit, contra quem Zeno Theodoricum Oſtrogothum, Thraciam Mœſiamque populantem, evocavit, qui ſuperato Odoacro, ſuos *Oſtrogothos* Italiæ Dominos fecit, ac collapſam inter tot Barbaricas vaſtitates urbem, quaſi ex ruderibus inſtauravit, quanquam *Ticini* plerumque Regiam haberet. Hic finis Imperii in occidente fuit. Non minus Oriens affligebatur, à *Bulgaris*, *Hunnis*, *Vgris*, *Avaribus*. *Bulgari*, Sarmatica gens, à *Volga*, quod flumen *Bulgam* Cedrenus vocat, digreſſi, primo in *Tauricam* Cherſoneſum, inde in *Illyricum*, *Pannoniam*, *Thraciam*, *Mœſiam* effuſi, *Volhiniam*, hodie Lituaniæ partem, à ſe denominarunt, ſi Gaguino credimus. Eorum pars *Slavini*, trajecto Iſtro, urbes Macedonum & Illyriorum occuparunt. Ab his quicquid *Gottorum*, *Longobardorum*, *Gepidarum* in illis Provinciis ſuperat, vel pulſum vel deletum eſt. Nam *Baſtarnæ* Juſtiniani ævo nulli in ſedibus ſuis ſupererant, ſive cum *Oſtrogottis* in Italiam migrarint, ſive à Slavis exciſi aut in Daciam pulſi ſint. *Longobardos* quod ſpectat, illi *Rugilandia* ad mare Balticum egreſſi, patentes ad Danubium campos, qui Germanis *Felden*, ad ulteriorem Danubii ripam, multis annis incoluêre. Deinde Kunimundo *Gepidarum* Rege, qui *Dalmatiam* & *Sirmium* tenebat, victo, cum *Hunni* denuo graves eſſent, relicta ipſis *Pannonia*, à Narſete, quem Sophia Auguſta muliebribus probris irritaverat, evocati, *Italiam*, Oſtgottis deletis vacuam, occuparunt ejuſque partem, *Ciſalpinam* Galliam, *Longobardiam* vocarunt, quod nomen hodieque retinet. Ita Longobardis *Italia*, Hunnis *Pannonia* ceſſit: Qui Juſtiniani ævo, novis ex Scythia in Europam excurſionibus factis, tandem ſedes juxta Longobardos fixerunt, & ab iis, primo *Gepidarum* regionem, mox totam *Pannoniam*, obtinuerunt. Iis ſub Tiberio II. *Avares* acceſſerunt, à *Turcis Scythia* pulſi, quorum Reges Cagani, formidabiles Orienti pariter & Occidenti, erant. Unde nunc *Hunni*, nunc *Avares*, indiſcriminatim, nunc etiam, mixta voce, *Hunnivares*, dicti. Sed paulo poſt, *Pannonia* pulſi, *Slavis* ſive *Winidis*, qui & *Slavini* atque *Antæ*, emergendi occaſionem dederunt, à quibus *Slavoniæ* in Illyrico regnum conſtitutum. *Saxones* quoque, qui cum Longobardis in Italiam migrarant, pertæſi ipſorum, in Germania antiquas ſedes, quas Suevi tenebant, repetierunt. Ab eo tempore *Svevi* ad Danubium, *Saxones* ad Albim, habitarunt. Iiſdem temporibus innotuit Regnum *Axumitarum* Indorum in Æthiopia, cum ipſorum Rex David ſeu Adad, victis *Homeritis*, Chriſtianam Religionem ex voto ſuſcepiſſet. *Indos* enim illa ætas vocavit etiam *Æthiopes*, inter quos *Axumetæ* apud Stephanum, Ptolemæo *Axumi*, ab urbe Regia *Axuma*, quam hodie *Chaſcumo* vocant. Unde patet falſum eſſe quod Abyſſini tradunt, inde ab ævo Reginæ Candaces, primo per Philippum, deinde Matthæum, ac Bartholomæum, fidem Æthiopiam ſuſcepiſſe. De Arabum, qui ſub Heraclio ex deſertis ſuis eruptionem fecerunt, Geographia, paulo poſt agemus. Sequuntur *Slavorum* motus, qui à *Tanai* & *Volga*, ad mare Adriaticum, cuncta terrarum, multitudine ſua & ampliſſimis regnis, occuparunt. Quomodo in Illyricum & Pannonias venerint, jam dictum. Alia ipſorum manus, *Venedi* ſive *Wendi* in regiones *Vandalorum* vacuas, ad mare Balticum, migrarunt, ac inde *Vandali* quoque dicti ſunt. Horum multa genera, *Wiltzi*, qui & *Welitavi* & *Witti*, *Obotritæ*, *Sorabi*, *Ciripæni*, *Polabi*, *Caſſubii*. In Illyrico Oſtrivoy, Regnum *Slavoniæ* condidit, & urbem de ſuo nomine ad Danubium *Oſtrivoy*, deinde aliam in Carniola *Slovingrad*, quæ Germanis **Windiſchen Grätz**/ ſtruxit. Ejus nepos Selimir, expugnata *Scodra*, ſe Regem *Dalmatiæ* appellavit. Hujus fratres referuntur fuiſſe Lech, Cech & Ruſſo, qui colonias Slavorum circa A. C. IDL. in *Serviam*, *Boëmiam*, *Moraviam*, *Poloniam* & *Ruſſiam* duxerint. *Servia*, veteris Mœſiæ pars, à *Tzerkaſſis*, quorum reliquiæ etiamnum ad mare Caſpium ſuperſunt. condita videtur, hodieque. n. Servii à ab Hungaris *Tzerkaſi* vocantur. Polonia autem à *Pole*, quod *planitiem* & *venationem* Slavis ſignificat, dicta fuit. Quorum Principes, Lechus *Gneznam*, Cracus *Craco viam*, condidiſſe perhibentur. Cumque hactenus *Bulgari* incertis ſedibus erraſſent, tandem in trans-Danubianas regiones effuſi, *Slavinis* ſubactis, *Mœſiam* ſuperiorem *Bulgariam* appellarunt. Fuerunt etiam *Crobatæ*, unde *Croatia*, & *Raſcii*, unde *Raſcia*, qui tamen priſcorum *Thracum* reliquiæ cenſentur. *Pazinacæ* ſive *Pitzingi*, à quibus *Boſni*, ad Iſtrum habitabant, quos Olga Ruſſorum Regina magnam partem delevit, reliquis in eam regionem, quæ hodie *Boſnia*, delatis. Omnium *Slavorum* ampliſſimi numero ac terrarum magnitudine *Ruſſi* ſunt, Græcis indeclinabili voce Ῥῶς hactenus *Varegis*, id eſt, *Suecis*, *Finnis*, *Livonis*, *Pruzzis*, ſubjecti. Omnes enim Oceani Baltici accolas ſua lingua Ruſſi *Waregos* vocant, & mare illud *Waretſi More*. Poſtea excuſſo horum jugo, circa *Naugardiam*, *Pleſcoviam* & *Bielóſeram* invaluerunt, diviſi inde in plurimos Ducatus, *Novogrod*, *Polocko*, *Turow*, *Roſtow*, *Murom*, *Drzewiany*, *Wolodimir*, *Czernicow* & *Tmutokany*, *Smolensko*, *Kiow*, *Pereaslaw*, *Woliniam*, *Premiſliam*, *Trebowliam*, *Halitiam*, quam Hungari

Ga-

Galatiam vocant, In universum, in *Russos* Nigros sive *Minores*, & *Albos* sive *Majores*, distinguebantur, de quo alias. NORMANNORUM, qui & *Nortludi*, in *Norwagos*, *Svecos* ac *Danos* hodie divisi, migrationes in A. C. Io. ccc. incidunt, cum inter se discordes domi, multitudine populi insuper abundante, piraticam toto orbe exercere cœperunt. Prædæ ipsis *Saxonia*, *Frisia*, *Belgica*, *Gallia*, *Anglia*, *Hibernia*, *Scotia*, *Hispania*, *Italia*, *Nannetes*, *Turones*, *Andes*, *Burdegala*, *Lutetia*, *Pictones*, *Colonia Agrippina*, *Ultrajectum*, & innumeræ aliæ urbes, ab ipsis direptæ, exustæ: tantusque terror nominis ipsorum fuit, ut solennibus precibus adderetur; *A furore Normannorum, libera nos Domine.* Imprimis memorabilis est dolus, quo *Lunam*, celeberrimam Italiæ urbem & portum, Haddingus cepit, quem postea *Carnuto* Carolus Calvus donavit. Neque ante quieverunt, quam *Frisiam* & *Neustriam*, quæ imposterum *Normannia* dicta, Carolo Calvo extorsissent, in cujus possessione Rollo Danus à Carolo Simplice confirmatus fuit. Unde *Frisonum* & *Normannorum* lingua hodieque Danicam in multis refert. Memorant Septentrionalium rerum scriptores, aliam quoque suæ gentis in *Pruzziam*, *Semigalliam*, *Careliam* & vicinas regiones migrationem, qua tertius quisque servus, cum ingenti alia multitudine, in illas oras profecti fuerint, neque propter agrorum ubertatem in patriam redire voluisse. Quoniam igitur *Pruzzorum* hic facta mentio, sciendum est vulgo ipsorum originem à *Borussis* deduci, quos ad Riphæos montes locat Ptolemæus. Sed id minus videtur probabile, quia Germanica *Pruzzi* gens, non *Slavica* vel *Russica*. Non extat eorum ante Helmodum & Adamum Bremensem mentio. Uterque *Pruzzos* vocat. Annales ipsorum referunt, Venedusum quendam gentis conditorem, cujus duodecim filii totidem Provinciis nomina dederint, quæ sunt *Sambia*, *Natangia*, *Nadravia*, *Sladovia*, *Bartomia*, *Galindia*, *Warmia*, *Hogerlandia*, *Culma*, *Pomesania*, *Michlinia*. Cæterum ab iisdem Normannis *Islandia* quoque & *Gronlandia* primus incolas acceperunt. Nam cum Haraldus Harfagerus per Norwagiam insolenter, reliquis Regulis oppressis, dominaretur, multi fugientes Tyrannidem ejus, cum familiis suis, in desertam hactenus *Islandiam*, quæ & *Snelandia* dicebatur, migrarunt. Quanquam enim etiam ante illa tempora à piscatoribus Scotis & Hibernis frequentata fuit, quod repertæ cruces, tintinnabula & aliquot libelli arguebant, nemo tamen sedes in ea figere ausus fuit ante Norwagos. Ex *Islandia* quidem Ericus Ruffus in *Gronlandiam* colonos traduxit, cujus exemplum plures secuti, eam in *Orientalem* & *Occidentalem* distribuerunt, quarum hæc VIII. illa XI. Parochias habuit. Non plane priscis eas terras incognitas fuisse, præter *Thulen* (quam supra diximus non Islandiam sed Ylam Scotorum esse,) *Cronium* mare, non à Saturno, ut fabulantur, sed hac *Gronlandia* dictum, ostendit, ac in eo terræ sitæ, quarum Plutarchus alicubi meminit. Quid vero de opinione Grotii statuendum, qui ab his *Islandis* & *Gronlandis* Mexicanos originem traxisse contendit, in Americanis ostensum. Vulgo *Frislandia* quædam, inter *Islandiam* & *Gronlandiam*, insula non minimæ magnitudinis & potentiæ, ponitur; sed vel eadem est cum *Islandia*, vel à Zenis Venetis conficta. Porro, sicut Normanni Frisiam & Neustriam inter illas excursiones, ita quoque *Bataviam* & *Walacriam* occuparunt, quæ ab ipsis *Hollandiæ* & *Zeelandiæ* nomen obtinuerunt. Eadem enim nomina præcipuarum regni Daniæ Provinciarum sunt. Unde hodieque, maximè apud Zeelandos, multa Danica, & in moribus, & in lingua, supersunt. Sicut igitur à Norwagis Islandia: ita à Sinensibus *Iaponia*, quam incolæ *Nippon* vocant, eodem fere tempore, nec multum dissimili occasione, colonos accepisse dicitur. Quod tamen parum probabile, insulam immensæ magnitudinis, fertilissimi soli ac temperati aëris, præterea Sinis adeo vicinam, tum demum habitari cœptam. Fateor Annales Japonios tale quid tradere, proscriptos ex Sina complures in vicinas insulas migrasse ibique odio Sinensium novam linguam, mores, habitum assumsisse. Quod haud difficulter concesserim: Sed id credi vix potest, cum tanta sic Japoniæ amplitudo & versus Septentrionem immensa terrarum spatia quæ *Iesso* vel *Sesso* vocantur, habitata ab hominibus sui generis, nullos ex iis ante adventum Sinensium in Vicinas sibi Japoniæ insulas trajecisse vacuaque occupasse vel ipsos Sinenses, cum gloria navali præcellerent & longinqua Indiarum peterent, nullam fortissimæ Japoniæ rationem habuisse. Sed hæc ut ut se habeant, brevi ex Sinensium Annalibus cognoscemus. Imperium occidentis inter has Barbaricas irruptiones, penitus collapsum ac dissipatum, primus CAROLUS Magnus *Ingelheimi* ad Rhenum natus, adeoque gente & nativitate Germanus, gloriose instauravit, *Italia*, *Allemannia*, *Saxonia* & *Galliis*, in unum corpus redactis. Regia autem ipsius plerumque *Aquisgrani*, fuit vel *Ingelheimii*. Hic *Longobardos* imprimis ac *Saxones* domuit, præterea *Bojarios*, *Slavos*, *Hunnos*, *Wiltzos*, *Aistos*, *Normannos*, aliasque nationes, repressit. Ac ut *Saxonum* potentia imminueretur, magnam eorum partem in *Flandriam* & *Brabantiam*, nec non *Nordalbingos* in *Franciam*, transtulit, quorum pagi vacui *Obotritis* Vandalis concessi. Qua ætate hæc in universum Imperii facies fuit. *Francia* alia dicebatur *Occidentalis*, sive *Westreich*, alia *Orientalis* sive *Ostreich*, quæ & *Austrasia*. Illa complectebatur *Aquitaniam* *Burgundiam*, *Britanniam*, & *Neustriam*. Hæc

Belgicam, & quicquid trans Rhenum Francici juris, imprimis *Saxoniam*, *Franconiam*, *Allemannia*, quæ & *Sueviа*, *Bajoariam* & *Pannoniam* superiorem, quæ sola, cum Franconia, ejus divisionis antiquum nomen retinuit: hodieque enim *Austria* sive *Osterreich* appellatur. Non sane respectu Bajoariæ, ut Aventinus vult, sed quia pars Orientalis Franciæ. Porro sub Carolingis variè divisum Imperium hoc, in regna *Aquitaniæ*, *Austrasiæ*, *Germaniæ* & *Italiæ*, ex quibus subinde etiam alia, ut *Neustriæ*, *Lotharingiæ*, *Burgundiæ*, *Provinciæ*, *Bajoariæ*, nata sunt. Quippe Lotharius *Austrasiam* de suo nomine *Lotharingiam*, sive *Eothrick*, appellavit, quæ cum olim ampliſſima fuisset, & totam Belgicam complexa, avulsis multis Provinciis, ad eas, quæ supersunt hodie, angustias, redacta est. Quod vero communiter tradunt, Carolum Magnum ejusque successores, contra *Hungaros* bella gessisse, id verum non est. Nulli enim eo tempore adhuc in Pannoniis *Hungari*, sed regionem eam tenebant *Hunni*, qui A. Ch. Iɔɔc. Scythia septem agminibus egressi, in Pannonia & Dacia vicinisque regionibus consederunt, quibus, ut supra relatum, juncti *Avares*. Unde Theophilactus Simocatta apud Photium testatur *Var* & *Chunos*, Turcicas gentes, jam Justiniani ævo in Europa sedes posuisse, dictosque *Avares*. Ab his *Pannonia* dicta fuit *Hunnia* & *Avaria*. Ipsi campos, in quibus degebant, truncis arborum, in valli speciem munitos, *Ringas* Germanica voce, id est circulos, quorum novem, appellavere. Contra hos igitur belligerarunt Carolingi. At vero imperante Arnulpho *Ugros* sive *Mægaros* ex Scythia Sarmatiaque Asiatica in Pannonias duxit Rex Cusala, *Hunnisque* ac *Avaris* excisis, eorum sedes cum suis occupavit. Hæc *Vgrorum* qui & *Vngari*, in Pannonia origo. Ex quo Bonfinii aliorumque, qui res Hungaricas scripserunt, errores manifesti fiunt, qui *Hunnos* cum *Ugris* confundentes omnem & temporum seriem & Historiarum ordinem perturbant; dum Slavos circa A Ch. Iɔcc. XLIV. quo ipsi Hungaros, id est Hunnos, primum adventasse, volunt, late in Pannonia regnasse arbitrantur. Quod ita se non habet, sed demum A. Iɔccc. XC. Svathes sive Suatopluck, Slavorum *Moravorum* Rex in illis oris potentissimus fuit, cujus regnum Arnulphus & Ugri everterunt. Ab eo tempore horribili cæde ac vastitate Germaniam Italiamque afflixerunt, donec Christi fide susceptа, paulatim mansuescerent. Interea *Dani* Angliam multitudine sua impleverant, quos conspiratione inita, sicut postea Siculi Gallos, incolæ una nocte interemerunt omnes. Nec diu hac libertate gavisi, atrociores ex *Normannia* Dominos acceperunt, cum Guilhelmus Conquestor Haraldum superasset. Ab eo tempore & lingua Anglo Saxonica Normannicæ mixta. & novæ leges, institutа, ritus introducti. Quemadmodum iidem Normanni *Apuliam* quoque & *Siciliam* Saracenis ereptam, sibi vindicarunt. Ac in universum, Occidentales, tum nescio quis furor, in Orientem traxit. Innumerabilis ex *Germania*, *Gallia*, *Apulia*, *Hispania*, *Britannia*, *Normannia*, *Lotharingia*, *Longobardia*, *Burgundia*, Duce Godfrido Bulionæo, hominum multitudo, pro recuperanda *terra Sancta*, confluxit. Qua expeditione vix ulla famosior. Captæ, *Nicæa* Bithiniæ, *Antiochia*, *Hierosolyma* & aliæ Orientis urbes ac Provinciæ: regnum unum à Christianis, *Hierosolymitanum* & tres Principatus *Antiochenus*, *Edessenus*, *Tripolitanus*, constituti. Ita ingens, cum aliarum ex Occidente nationum, tum imprimis *Francorum*, in Palæstinam migravit multitudo, à quibus illi, qui montem Libanum hodie tenent, *Drusci* sive *Drusiani*, originem trahunt. Cum vero Salahdinus *Hierosolymam* recepisset, reliquiæ Christianorum, cum Guidone Lusignano, in *Cyprum* migrarunt, eamque per aliquot secula, contra Muhammedanos defenderunt, quare etiam illius insulæ Reges *Christianissimi*, honoris ergo appellati. Non enim ille titulus, olim soli Francorum Regi, sed omnibus qui fidem strenue propugnabant, tributus. Sic Johannes VIII. Papa Alphonsum Gastellæ Regem, *Christianissimum*, in literis suis vocavit, quod à Volaterrano observatum. Inter has gentium terrarumque vicissitudines, Græcum Imperium, magis magisque debilitatum à Saracenis, Turcis, Tartaris, aliisque fuit, Commemorantur sub Henrici IV. Imp. *Uzi* gens Scythica, qui Istrum transgressi, *Macedoniam* & *Græciam* vastarint. Quos *Alanos* esse arbitror, qui sua lingua *As* dicuntur, ut supra notatum, unde forte *Usbekkorum* recens nomen fluxit. Sic Joh. Comneni tempore *Pazinacæ* innumerabili multitudine in *Thraciam* progressi, quibus victis Imperator sedes ad Istrium assignavit, *Serviorum* vero multitudinem in *Bythiniam* transtulit. Atque hinc vera *Bosniorum* origo patet, sunt enim hi ipsi *Pazinacæ*, quos Comnenus in Mœsia collocavit. Hinc recens ipsorum memoria, neque inter alios Slavorum populos, quales *Servii*, *Bulgari*, *Rascii*, *Crabatæ*, ante hæc tempora, recensentur. Primus *Serviæ* Regum, Stephanus Vubsan sive Dussan, qui se Imperatorem *Græciæ* nominavit ac *Bulgariæ*, *Bosnam* reliquis Slavorum regnis adjecit circa Ann. Christ. cIɔ. ccc. L. Extincta autem familia hujus Stephani, quod A. cIɔ. ccc. LXXI. factum *Bosna* peculiares Reges habuit, donec in Turcarum potestatem veniret. Hæc in Oriente. Neque segniores septentrionales fuerunt. Quippe Sveci *Finlandiam*, quæ peculiares hactenus Reges habuerat, Teutonici *Pruzziam* ac *Livoniam*, Franci Regnum *Siciliæ* & *Neapolis*, coloniis suis occuparunt. *Cumani* vero ex Taurica Chersoneso à Tartaris pulsi, in Hungariam fugerunt ibique sedes acceperunt. Nam post Gottos Hunnosque, in ea

Scythiæ

Scythiæ parte, *Cumanos* fuiſſe legimus, quos Poloni *Polowczos*, id eſt locorum venatores, quod vagam in plauſtris vitam more Tartarorum agerent, appellabant. Sic deſtructa *Cumanorum* potentia, omnis *Scythia* in *Tatarorum* nomen conceſſit. Et cum *Ruſſiæ* Magni Duces, *Uladomiria* ſedem ſuam *Moſcoviam* tranſtuliſſent, abolito quaſi Ruſſorum nomine, *Moſcovitæ* impoſterum dici cœperunt, & ipſa Regio *Moſcovia*. Unde errare illos cognoſcimus, qui *Moſcovitas*, priſcorum *Moſchos* eſſe putant, & à Meſech conditos. Nam recens hoc nomen, nec ante A. cIↃ. ccc. auditum, cum Daniel Dux, ditiones ad *Moſcam* amnem ſortitus, ſedem ſuam in pago cognomine poſuiſſet, qui adeo brevi tempore excrevit, ut nunc inter maximas totius orbis civitates cenſeatur. Sed hæc de Romani Imperii mutationibus dixiſſe per ſaturam ſufficiat. Reſtat ut paucis quoque exponamus GEOGRAPHIAM ECCLESIASTICAM. quid Geographiæ à Chriſtianis, Saracenis, Judæis acceſſerit.

ECCLESIASTICAM Geographiam voco, quæ propagationem Religionis ac Eccleſiarum exponit. Igitur publicus DEI cultus tempore Enoſi cœpit, ſtructis, ut videtur, hinc inde templis & altaribus ac aris. Poſt diluvium, in Semi familia aliquandiu Eccleſia hæſit, donec etiam hac ad Idololatriam prolapſa, Abraham ex *Chaldæa* in *Chananæam* evocaretur, cujus poſteri, excluſis cæteris nationibus, ſoli veram Religionem à DEO, ſub circumciſionis Sacramento, acceperunt. Quare totus orbis in *Iſraëlitas* circumciſos & *gentes* incircumciſas, diſtinctus fuit. Quanquam enim etiam *Ægyptii* circumciſi, & *Arabes* ac *Æthiopes*, quorum primi à Joſepho, ſecundi ab Iſmaële, tertii à Moſe circumciſionem accepiſſe dicuntur, id tamen neque univerſale fuit, neque legitimo exercitum modo. Non enim omnes circumcidebantur, quod vel Apionis exemplo patet apud Joſephum, neque octava die, ſed Arabes demum anno ætatis XIII. quod *Iſmaël*, cum circumcideretur, tredecennis fuiſſet, teſte Origene apud Euſebium. Tum recentior circumciſio apud Ægyptios & Æthiopes fuiſſe videtur, ac forte à Judæis, poſt diſperſionem illam accepta. Cum Chananæam occupaſſent, ſedes Religionis primo fuit vaga, & in tentorio, apud *Schiluntem* oppidum, arca poſita, quam Philiſtæi prælio captam per urbes ſuas, *Aſdod*, *Gath*, *Eckron*, circumtulerunt, ac peſtilentia coacti, *Bethſchemeſchum* reduxerunt, unde *Gibeam* tranſlata fuit. Poſtea Salomo magnificentiſſimum *Hieroſolymis* templum exſtruxit, quæ impoſterum non tantum πολιτείας, ſed & θρησκείας metropolis ac caput fuit. Dilacerato regno, etiam Eccleſia grave Schiſma patiebatur. Quippe Jeroboam, Rex decem tribuum, metuens ne populus, Hieroſolymis Sacra frequentans, iterum ad Domum Davidis deficeret, novam Religionem ac ſegreges ritus inſtituit, duobus aureis vitulis, Ægyptiorum æmulatione, uno in *Dan*, altero in *Bethel*, erectis. Abductis decem tribubus in captivitatem, pars earum in *Colchidem* & *Iberiam* venerunt, quod ex eo colligunt nonnulli, quia Herodotus ſcribit, Colchos circumciſos fuiſſe, quanquam id ab Ægyptiis eo delatis, profectum, eidem & Diodoro Siculo, videatur. Veniſſe etiam Judæorum multitudinem in *Thraciam*, Scholiaſtes ad Ariſtophanis Acharnenſes innuit: Ὀδομάντων ἔθνος Θρᾳκικὸν. φασὶ δὲ αὐτοὺς Ιυδαίους εἶναι. Quid præterea Judæi de decem tribubus, earumque potentia ac regnis ſomnient, infra dicemus. Ante illa tempora parum exteris cogniti fuerunt, quippe à peregrinationibus alieni. Nam quod nonnulli putant, eorum, ſub *Solymorum* nomine, mentionem ab Homero fieri, id ex Strabone & Plinio arguitur, qui vel eoſdem cum *Piſidis*, vel iis vicinos, volunt fuiſſe. Nemo ipſorum, quantum conſtat, majus terræmariſque ſpatium peragravit, quam Propheta Jonas. Qui navim Joppenſem ingreſſus, dum *Tarſum*, ſive illam Ciliciæ, ſive *Carthaginem* aut Hiſpaniæ *Tarteſſum*, petit, oborta tempeſtate, velut piaculum, in mare præcipitatus, à ceto deglutitus, poſt triduum, miraculo, vivus, ad littus ejectus fuit. Neque diu quærendum, quare illud littus fuerit, idem ſcilicet unde fugam cœperat, Joppenſe. Sic *Niniven* delatus, regnante ibi Phul Aſſure Sardanapali patre, urbem totam obivit, ac extra eam, tugurio ſtructo, ejus fata & interitum opperiebatur. Secuta captivitas *Babylonica*, cujus metu, qui relicti fuerant in Judæa, omnes ferè in *Ægyptum* fugerunt. Cum verò poſt LXX. annos Cyrus redeundi copiam feciſſet, nata fuit diſtinctio Judæorum in *Paleſtinos* & *Babylonios*, quorum hi αἰχμαλωτάρχλω ſibi conſtituerunt, qui mos multis ſeculis, etiam *Bagdadi*, manſit. Neque eis licitum fuit *Babylone* ulterius in alias regiones migrare. Cuſtodiebant etiam arcana Babylonici Imperii in turri *Ecbatanis* Medorum. Tantam gloriam & Majeſtatem his Rabbini adſcripſère, ut etiam collapſo Judææ regno, ad hos Babylonienſes, tranſlatum eſſe ſceptrum Judæ, Maimonides voluerit, quo nihil nugacius dici poteſt. Hoc etiam tempore nata fuit diſtinctio *Iudæorum* in latè & ſtrictè ſic dictos. *Latè* dicti erant omnes ejuſdem originis & Religionis, *Ieroſolymitani Galilæi*, *Peritæ*, *Idumæi*, *Alexandrini*, *Babylonii*, & omnes οἱ ὑπὸ τὸν Μασσιοῦν. *Strictè* erant tantum cives *Ieroſolymitani* & illæ decem *Toparchiæ* apud Plinium ſive *undecim* apud Joſephum in quarum medio *Ieruſalem*. Manſit tamen etiamnum *Hebræorum* nomen, & regio terra *Hebræa* dicta, ut ex Pauſania in Eliacis & Arcadicis, Philone, Joſepho, Stephano aliiſque patet. Tempore Alexandri Magni, Samaritani templum, Hieroſolymitano æmulum, in monte *Garizim* ſtruxere. Poſt ejus mortem, ob exortas in Syria ſeditiones, multa Judæorum millia, in *Ægyptum* ac reliquas Macedoniæ & Romani Imperii

provincias, migrarunt. Et in *Ægypto* quidem tanta incrementa sumserunt, ut non minus decies centenis millibus in *Alexandria*, ubi jus civitatis habebant, & regione circumsita, ab *Africâ* descensu ad fines *Æthiopiæ* habitarent, si Philoni contra Flaccum credimus. Plena ipsorum *Cyrenaica*, urbes *Asiæ*, *Macedoniæ*, *Lycaoniæ*, *Cyprus*, *Creta*, *Roma* & ipsa *Germania*. Paulo post, Onias filius Simeonis Justi, Pontificatu Hierosolymitano excluſus, in Ægypto templum in agro *Heliopolitano*, centum & octoginta à *Memphi* stadiis, struxit, quod etiam *Alexandrinum* dictum, non quod in ipsa urbe, sed ejus agro, sive præfectura, situm esset. Neque hoc contenti, alius Onias, Oniæ III. filius, tertium templum ex repurgato atque novato Agrestis Bubastis fano apud *Leontopolin*, in agro *Heliopolitano*, condidit, quod postea per excellentiam, *Templum* Oniæ, dictum, neque confundendum est cum priore illo Alexandrino. Sub Hasmonæis *Iudæi*, primo quidem Duces, deinde Reges habuerunt, quorum primus Aristobulus, cui Alexander Jannæus succeſſit. Quibus temporibus *Idumæi*, relicta Idololatria sua, cum Judaismum amplecterentur, *Iudæi* appellati sunt & *Idumæa* pars Judææ, *Hierosolyma* autem Idumææ metropolis facta. Quod vero discordes de regno & Sacerdotio essent Hyrcanus & Aristobulus fratres, Cn. Pompejus *Hierosolyma* capta, *Iudæam* Romanis tributariam fecit, & regni titulum, una cum urbibus Græcanicis, quas in Cœle Syria Judæi occuparant, ex quibus etiam *Gadara*, ademit. Nihilominus Hyrcanum postea Regem appellavit. Ab hoc Tempore *Iudæi* suam captivitatem EDOM, hoc est *Romanam*, auspicantur. Hinc Regnum ad Herodem alienigenam pervenit & sceptrum à Juda ablatum. Herodes demolitus templum *Hierosolymitanum* vetus, novum moliri cœpit, cujus potior pars mensibus XVIII. absoluta, connexa ædificia annis VIII. & structura deinde, per multos annos, continuata fuit. Post Herodem iterum abolitum regnum Judææ. Nam Agrippa Senior & Junior, Reges quidem fuerunt *Iudæorum*, sed non *Hierosolymitanorum*, verum adjacentium regionum. Inde Gabinius Syriæ Præses, quinque pari potestate Synedria instituit, *Gadaris*, *Amathunte*, *Hierichunte*, *Sephoris* & *Ierosolymæ*. Cumque sub penultimo Pontifice Matthia, filio Theophili, templum Hierosolymitanum plene absolutum fuisset, secuta mox ejus à Tito Vespasiano excidium, cum totius urbis & gentis destructione. Jussit enim Cæsar totam urbem & templum funditus everti, tribus tantum turribus, *Phasaelo*, *Hippico* & *Mariamne*, cum aliqua mœnium parte, exceptis: reliquum vero ita complanavere milites, ut ne quidem unquam habitatam fuisse, fidem amplius faceret accedentibus. Et quanquam Judæi aliquoties, ut sub Adriano, Constantino, Juliano, instaurare Templum conarentur, divinitus tamen impediti fuerunt semper, absorptis, terræ motu & ignibus, fundamentis, ut Socrates, Sozomenus, & alii fide digni scriptores, tradunt. Post eam παλιλθεξίαν, dispersi per universum orbem, in hanc usque diem, Judæi, absque Republica & Principe, vagantur, quanquam sibi *Patriarchas* quosdam, à Davide ortos, diversis locis, *Alexandriæ*, *Tiberiade*, *Pumbeditha*, *Souræ*, *Nehardeæ*, & alibi, eligerunt, qui non Politicam, ut Rabbini nugantur, sed Scholasticam tantum authoritatem habebant. Nunc ad CHRISTIANÆ ECCLESIÆ Geographiam convertimur. Post Domini passionem, metu persecutionis Hierosolymitanæ, omnes discipuli Christi, passim per *Iudæam*, *Samariam*, dispersi sunt. Apostoli autem *Hierosolymis* manserunt. Philippus Diaconus *Samariæ*, *Gazæ*, *Azoti*, Euangelium prædicavit, & Eunuchum Reginæ Candaces *Æthiopum*, ad fidem convertit, unde Euangelium etiam *Æthiopibus* innotuisse volunt. Thaddæus *Edessam* venit. Hæc prima fidei propagatio, sed particularis. Succeſſit secunda, eaque per universum orbem, sive Catholica. Quod ut ordine fieret, divisæ inter Apostolos Provinciæ, & cuilibet aliqua pars, quam præcipuè sibi commendatam haberet, assignata putatur. Id constat, Petro contigisse Apostolatum circumcisionis, id est *Iudæorum*, Paulo *gentium*. Reliquorum, præter Jacobum, Johannem, ac Iudam, nulla in Sacris mentio, ubi docuerint, extat. Ex quo colligimus, reliquos Apostolos, in loca longe dissita *Africæ*, *Asiæ* & *Europæ*, concessisse. Thomam Euangelium annunciasse *Edessenis* & *Parthis*, testatur Eusebius. Addunt alii *Indos*, apud quos martyrio perfunctum in *Malabar*, recentiores volunt, ubi hodieque familia, cujus alteram tibiam, monstrosæ magnitudinis, ex maledictione Apostoli, tradunt esse. Quod fabulosum censeri debet non minus ac illud quod de Anglis refertur quibus etiam ex maledictione S. Augustini Caudas agnatas perhibebant, unde cognomen illud quo hodieque à transmarinis Joco appellantur *Steertmannorum*, id est Caudatorum, profluxisse videtur. Andreas *Scythis* Europæis, *Thracibus*, *Ponticis*, *Sacis*, *Sogdianis* & plurimis per *Europam* ac *Africam* nationibus. Iohannes in *Iudæa* & *Asia* Minori, Iacobi duo *Hierosolymis*, Philippus in *Scythia* & *Phrygia*, Bartholomæus in *India* citeriori & *Armenia*, Matthæus in *Æthiopia*, Iudas in *Ægypto* & *Persia*, Matthias in interiori *Æthiopia*, *Cypro* & alibi, prædicarunt. Ampliſſimæ & notiſſimæ Pauli peregrinationes fuerunt, quarum accurata tabula inter nostras extat. Hic in *Arabia*, *Cilicia*, *Cypro*, *Pamphylia*, *Pisidia*, *Ionia*, *Lystris*, *Derbe*, *Lycaonia*, *Galatia*, *Macedonia*, *Mœsia*, *Troade*, *Samothracia*, *Neapoli*, *Thiatyris*,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8603, [26] - 20 PUBLIC DOMAIN

Thiatyris, *Amphipoli*, *Apollonia*, *Theſſalonicæ*, *Berrhœa*, *Athenis*, *Corintho*, *Cenchreis*, *Epheſo*, *Cæſarea*, *Roma*, *Illyrico*, *Hiſpania*, fidem Chriſti latiſſime propagavit. Famoſa eſt ejus navigatio & naufragium ad *Melitam*, quam non eſſe illam in Illyrico prope *Corcyram*, ſed alteram inter *Siciliam* & *Africam*, multis argumentis oſtendi poteſt. Quia Ptolemæus illam alteram ad Corcyram *Melitinem*, non *Melitam*, vocat. Et cum Paulus *Syracuſas* tenderet, quomodo ad *Illyricum* pervenit? Jactatum eò tempeſtatibus dicunt, idque in mari *Adriatico*. Sed hoc ſe etiam ad alteram Melitam extendit. Omne enim illud mare circa Siciliam *Adriaticum* dicebatur ut ex Strabone & Ptolemæo patet. Ab Apoſtolis paſſim per urbes & oppida *Epiſcopi*, id eſt, Paſtores conſtituti. Sic Paulus Timotheum *Epheſi*, Titum in *Creta*, *Tarſi* Jaſonem reliquit. Andreas *Byzantii*, *Patris*, *Philippis*, *Synopi*, *Nicææ*, Epiſcopatus fundaſſe dicitur. De cæteris Apoſtolis nihil certi conſtat. Sed infinitum eſſet omnia minutim perſequi. Quare id impræſentiarum ſufficiet dixiſſe, tempore Conſtantini Magni, ac poſtea, quinque in univerſum Patriarchatus, inſtitutos, id eſt Epiſcopatus Catholicos. Idem enim in veterum ſcriptis *Catholicus* & *Patriarcha*, qui & *Albunæ*, id eſt Patres noſtri, dicti. Utque initium à Patriarchatu ALEXANDRINO faciamus, ei ſuberant Provinciæ *Ægypti*, quæ initio tres: *Ægyptus*, *Libya*, & *Pentapolis*. Deinde ſex: *Ægyptus*, *Thebais*, *Libya* ſuperior, *Libya* inferior ſeu *Pentapolis*, *Arcadia* & *Auguſtamnica*. Poſtea acceſſere *Ægyptus* ſecunda & *Thebais* ſecunda. Sic in univerſum decem Provinciæ, & decem *Metropolitani*, fuerunt. A Chalifatu Omaris, ad Hiſiamum, per XCVII. annos Patriarchatus Alexandrinus vocavit, Jacobitis omnia templa & Epiſcopatus, in *Ægypto* & *Nubia*, occupantibus, ita ut Orthodoxis *Alexandriæ*, non niſi templum *Sabæ* reſtaret: Coſmas autem factus Patriarcha, à Jacobitis templum *Euangelii* recepit. Sequitur Patriarchatus JEROSOLYMITANUS ſub Juſtiniano I. Imp. in Concilio *Chalcedonenſi* inſtitutus. Videbatur enim inconveniens, Epiſcopum *Hieroſolymitanum*, nulla, vel modica, præ aliis, prærogativa gaudere. Itaque viſum eſt cæteris quatuor Patriarchis, *Ieroſolymam* ad ſedem Patriarchatus, in reverentiam Sanctæ Reſurrectionis, evehere. Et quoniam *Ieroſolyma* quaſi in limite utriuſq; Patriarchatus, *Alexandrini* & *Antiocheni* fuit, nec haberet unde illi urbes (verba ſunt Tyrii) ordinarentur ſuffraganeæ, ab utroque Patriarchatu aliquid decerpſerunt, nimirum à Patriarchatu Antiocheno Metropolitanos *Cæſarienſem* & *Scythopolitanum*, ab Alexandrino *Berythenſem* & *Rubenſem*. Subtraxerunt iiſdem etiam quoſdam Epiſcopos, & quoſdam de novo crearunt. Sunt igitur ſub Patriarcha JEROSOLYMITANO hi Epiſcopatus: *Lidda*, *Ioppe*, *Aſcalon*, *Gaza*, *Mennas*, *Diocletianopolis*, *Bergrobin*, *Neapolis*, *Sebaſtea*, *Hierichus*, *Tiberias*, *Diocæſarea*, *Legionum*, *Capitolina*, *Mauronenſis*, *Gedera*, *Nazareth*, *Thabor*, *Caraca* ſive *Petra*, *Hadroga*, *Aphra*, *Helem*, *Faran*, *Helenopolis*, Mons *Sina*, *Bethlehem*, *Hebron*. Sedes prima CÆSAREÆ Paleſtinæ, ſub qua Epiſcopatus viginti, *Dora*, *Antipatris*, *Iamnia*, *Nicopolis*, *Onus*, *Sorutis*, *Raphias*, Regium *Apatos*, Regium *Hierico*, Regium *Livas*, Regium *Gadaron*, *Azolus*, *Hiaralias*, *Azotus*, *Hippum*, *Eſtomaſon*, *Triconias*, *Taxus*, *Saltum*, *Conſtantinianum*. Sedes ſecunda SCYTHOPOLIS, ſub qua Epiſcopatus novem, *Capitoliados*, *Miru*, *Gadaron*, *Pelon*, *Philippus*, *Terraconias*, *Clima*, *Gallanis*, *Comanas*. Sedes tertia RUBRA Moabitidis, ſub qua Epiſcopatus XII. *Auguſtopolis*, *Arnidilla*, *Carah*, *Hierapolis*, *Memſidos*, *Eluris*, *Zora*, *Viroſſam*, *Pentacomia*, *Mamapſon*, *Mitrotomias*, Saltum *Hieraticon*, *Petra*. Sedes quarta BERYTUS, ſub qua Epiſcopatus triginta quinque, *Adraſſon*, *Dias*, *Medavon*, *Hieraſſon*, *Neni*, *Philadelphia*, *Hierapolis*, *Eſuos*, *Neapolis*, *Phenuſtus*, *Philippopolis*, *Dionyſius*, *Conſtantianis*, *Pentaconias*, *Tricomias*, *Conafados*, *Saltuvocaneos*, *Hexacomias*, *Enacomias*, *Comogannas*, *Comogeros*, *Comoſtanis*, *Comis*, *Mahederon*, *Comocoreatos* *Comiſcopion*, *Comis Iulianos*, *Comiſpygmarethon*, *Comis Petius*, *Comis Anathon*, *Comis Neotis*, *Clima Anatolis*, *Comis Anochis*, *Comis Traliconos*, *Comis Nephdomos*. Cumque Syriam Latini recuperaſſent, Innocentius III. Papa *Tyrenſem* Archiepiſcopatum, Patriarchatui Antiocheno detractum, Hieroſolymitano adjecit. PATRIARCHATUS ANTIOCHENUS quindecim Orientis Provincias ſibi ſubjectas habuit, *Syriam* primam & ſecundam ſive ſalutarem, *Paleſtinam* primam & ſecundam & ſalutarem, *Phœnicen* primam & ſecundam, ſive *Libani*, *Ciliciam* primam & ſecundam, *Cyprum*, *Euphratenſem*, *Meſopotamiam*, *Oſdroenam*, *Arabiam*, *Iſauriam*. Diſpoſitio Epiſcopatuum ita habuit. Sedes prima TYRUS, ſub qua Epiſcopales urbes quatuordecim, *Porphyreon*, *Archis*, *Ptolemais* ſive *Acon*, *Sidon*, *Sarepta*, *Byblium*, *Botrion*, *Ortoſia*, *Arados*, *Antarados*, ſive *Tortoſa*, *Paneas*, ſive *Cæſarea* Philippi, *Maraclea*, ſive *Araclia*, *Tripolis*, quibus à nonnullis *Bellinas* additur. Sedes ſecunda TARSUS in *Cilicia* prima, ſub qua Epiſcopatus quinque: *Sebaſtia*, *Mallos*, *Thina*, *Choricos*, *Poderados*. Sedes tertia EDESSA, ſub qua Epiſcopatus decem: *Virchi*, *Conſtantia*, *Capron*, *Marcopolis*, *Varnon*, *Cedmaron*, *Himeria*, *Querquenſia*, *Tapſaron*, *Celimos*. Sedes quarta APAMIA, ſub qua ſunt Epiſcopatus Septem: *Epiphania*, *Seleuconvilla*, *Lariſſa*, *Valanea*, *Mariania*, *Ruphania*, *Arethuſa* Sedes quinta HIERAPOLIS, ſub qua Epiſcopatus octo: *Zeuma*, *Surron*, *Varnalis*, *Neocæſarea*, *Perri*, *Ormien*, *Dolichi*, *Europi*. Sedes ſexta BOSTRA, ſub qua Epiſcopatus XIX. *Ceraſſon*, *Philadelphia*, *Adraon*, *Midanon*, *Anſtamidon*, *Belmindon*, *Zoroyma*, *Herry*, *Iceuy*, *Eutimii*, *Conſtartia*, *Paramboli*, *Dionyſia*, *Conohaton*, *Maximopolis*, *Philippopolis*, *Chriſopolis*, *Heylon*, *Lorea*. Sedes ſeptima ANAZARVA, ſub qua Epiſcopatus novem: *Epiphania*, *Alexandris*, *Hirenopolis*, *Cambriſopolis*, *Flavias*,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8603, [27] - 21
PUBLIC DOMAIN

Rossas, Castravalet, Egnas, Sysia. Sedes octava SELEUCIA, sub qua Episcopatus quatuor & viginti: *Claudiopolis, Diocæsarea, Oropi, Dalysanidos, Seriula, Celenderis, Anemory, Titopolis, Lamosy, Antiochia* parva, *Nephelia, Ristra, Selinuntis, Hieropy, Philadelphia* parva, *Hermopolis, Germanicopolis, Mosoda, Demenopobis, Slydi, Synopolis, Adrasson, Myim, Neapolis.* Hæc sedes Seleucienſis cum XXII. ſuffraganeis aliquando ſub Patriarchatu Conſtantinopolitano fuit, ut patet ex diſpoſitione Leonis Philoſophi Imp. à Leunclavio edita, in jure Græco-Romano. Sedes nona DAMASCUS, ſub qua Epiſcopatus undecim: *Ably, Palimpon, Laodicia, Euria, Renocora, Hiabanda, Danabi, Carathea, Hardam, Surra, Quini.* Sedes decima AMIDA, ſub qua Epiſcopatus ſeptem: *Hynilon, Valentium, Arſamoſata, Sephin, Caytaris, Ryphi, Zeuma.* Sedes undecima SERGIOPOLIS, ſub qua Epiſcopatus quatuor: *Bizanonias, Marcopolis, Venethal, Ermenia.* Sedes duodecima THEODOSIOPOLIS, ſub qua Epiſcopatus ſeptem: *Oricos, Maznimi, Mauriocaſtron, Agyamaria, Axieri, Tarosia Palitinios.* Sedes decima tertia EMISSA, ſub qua Epiſcopatus quatuor: *Arqui, Oriſſon, Herigem, Oragiſon.* Metropoles ſunt octo: *Piericus* ſive *Berytus, Heliopolis, Laodicia, Samoſata, Cyros, Pompejopolis, Mopſpheſtia, Adana.* Archiepiſcopatus duodecim: *Verea, Calquis, Gabula, Seleucia, Piperia, Anaſar, Phon, Paltos, Germanicia, Salamias, Varcoſos, Faſſos, Ananagarthon.* PATRIARCHATUS CONSTANTINOPOLITANUS ſive NOVÆ ROMÆ, Diœceſes complectebatur quinque, ASIANAM, cujus undecim Provinciæ: *Pamphylia, Helleſpontus, Lydia, Piſidia, Lycaonia, Phrygia* prima, ſive Pacatiana, *Phrygia* ſecunda, ſive ſalutaris, *Lycia, Caria* & Inſulæ. PONTICAM, cujus undecim quoque Provinciæ: *Galatia* prima, *Galatia* ſecunda, ſive ſalutaris, *Bithynia, Paphlagonia, Honorias, Cappadocia* prima, *Cappadocia* ſecunda, *Hellenopontus, Pontus* Polemoniacus, *Armenia* prima, ſive Major, *Armenia* ſecunda ſive Minor, quibus Juſtinianus Imp. *Cappadociam* tertiam & *Armeniam* tertiam ac quartam adjecit. THRACICAM cujus ſex provinciæ: *Europe, Thracia,* mons *Hæmus, Rhodope, Mysia, Scythia.* MACEDONICAM, cujus ſex provinciæ: *Achaia, Macedonia* prima, *Creta, Theſſalia, Epirus* vetus, *Epirus* nova, cum parte *Macedoniæ* ſecundæ, ſive ſalutaris. DACICAM, cujus quinque provinciæ: *Dacia* Mediterranea, *Dacia* Ripenſis, *Mysia* prima, *Dardania, Prævalitana,* cum parte *Macedoniæ* ſecundæ ſalutaris. Eccleſias autem Conſtantinopolitani Patriarchatus Leo Imp. Philoſophus diſtinxit in *Metropoles* & *Archiepiſcopatus.* Qui verò ſingulis Metropolitanis & Archiepiſcopis ſuffraganei fuerint, ii videantur in eo decreto Leonis apud Lenuclavium & Andronici Palæologi apud Curopalatam. *Metropoles* Patriarchatus Conſtantinopolitani hæ fuerunt: *Cæſarea Cappadociæ, Epheſus* in Aſia, *Heraclea* in Thracia vel Macedonia, *Ancyra* in Galatia, *Cyzicus* in Helleſponto, *Sardes* in Lydia, *Nicomedia* in Bithynia, *Nicæa* in Bithynia, *Chalcedon* in Bithynia, *Sida* in Pamphylia, *Sebaſtia* in Armenia, *Amaſia* in Helleſponto, *Melitene* in ſecunda Armenia, *Tyana* in ſecunda Cappadocia, *Gangra* in Paphlagonia, *Theſſalonica* in Theſſalia, *Claudiopolis* in Honoriade, *Neocæſarea* in Ponto Polemoniaco, *Peſſinus* in ſecunda Galatia, *Myra* in Lycia, *Stauropolis* in Caria, *Laodicea* in Phrygia Pacatiana ſive Cappatiana, *Iconium* in Lycaonia, *Synada* in Phrygia ſalutari, *Antiochia* in Piſidia, *Sylæum* ſive *Perge* in ſecunda Pamphilia, *Corinthus* in Poleponneſo, *Athenæ* in Hellade, *Mociſſus* in Cappadocia, *Creta* Inſula, Seleucia in Pamphilia, *Rhegium* in Calabria, *Patræ* in Peloponneſo, *Trapezus* in Lazica, *Lariſſa* in ſecunda Hellade, *Naupactus* in Ætolia, *Philippopolis* in Thracia, *Trajanopolis* in Rhodope Thraciæ, *Rhodus* Inſula, *Philippi* in Macedonia, *Hadrianopolis* in Hæmo Thraciæ, *Hierapolis* in Phrygia Cappatiana, *Dyrrachium, Smyrna* in Aſia, *Catana, Ammorium* in Phrygia, *Camachii* in Armenia, *Coryaium* in Phrygia, Sanctæ *Severinæ* in Calabria, *Mitylene* in Lesbo, *Neopatræ* in Hellade, *Enchaita, Amaſtris, Chonæ, Hydrus* ſive *Hydruntum* in Calabria, *Kelzene, Colonia, Thebæ, Serræ, Pompeiopolis, Roſsia, Alania, Ænus, Tiberiopolis, Achaia, Ceraſus, Nacolia* in Phrygia magna, *Germanicia* ſive *Garmania, Madyta, Apamea, Baſileum, Dryſtia, Nazianzus, Corcyra, Abydus, Methymna, Chriſtianopolis, Ruſium, Lacedæmonia, Naxia, Attalia. Archiepiſcopatus* hi fuerunt: *Bizya, Leontopolis, Maronea, Germia, Arcadiopolis, Parium, Miletus* in Jonia, *Proeconneſus, Selymbria, Chios* Inſula, *Apros, Cypſella, Nice, Neapolis* Italiæ, *Selga, Cherſon, Meſſana* Siciliæ, *Garella, Bryſis, Dercos, Carabizia, Lemnus* Inſula, *Lencas, Miſithea, Cudræ, Soteropolis, Pedachtoa, Germa, Boſphorus, Cotradis, Eroina, Carpathus, Meſembria, Gottia, Sugdaia, Phullæ, Ægina, Pharſala, Matracha, Melitopolis* in Helleſponto, *Cybiſtra,* ſive Cybiſta in ſecunda Cappadocia. Cum vero *Ruſsi* ſub magno Duce Wolodimiro, qui Annam Conſtantini Imp. ſororem, Baſilii filiam duxerat, A. Ch. Io. CCC. LXXX. fidem Chriſtianam ſuſcepiſſent, Leo Epiſcopus Græcus, omnium Ruſſorum Patriarcha factus fuit, cujus eadem quæ Conſtantinopolitani & Alexandrini authoritas. Sedes ejus *Kiovia* ad *Boryſthenem* fuit. Cum vero Lithuani *Kioviam* expugnaſſent, *Wolodimeriam,* inde *Moſcoviam* Patriarchatus tranſlatus eſt. Metropoles erant, *Novogardia, Suſdalia, Roſtovia.* Epiſcopatus totidem quot Principatus, præcipui *Rezanenſis, Twerenſis, Pleſcovienſis, Smolenskovienſis, Cazanenſis, Aſtracanenſis.* Omnium autem latiſſime ſacrum Imperium extendit Epiſcopus ſive Patriarcha ROMANUS, ac ſibi quod in Johanne Conſtantinopolitano accerrime reprehendit Gregorius Magnus, *Oecumenicam* authoritatem & prima-

primatum ſive Monarchiam, in omnes Chriſtianas Eccleſias, arrogavit. Sub eodem Gregorio, *Angloſaxones* fidem ſuſceperunt, diviſi in duos Archiepiſcopatus, *Londinenſem* & *Eboracenſem*. Primus Bonifacius VIII. titulum *Oecumenici* Epiſcopi, & capitis omnium Eccleſiarum, à Phoca Imp. obtinuit Johanni VII. Aripertus Rex Longobardorum donavit *Alpes* Cottias, & quicquid à *Taurinis* & *Medullis*, uſque ad *Genuam* & *Liguriam* protenditur. Stephanus II. Exarchatum *Ravennatem*, *Conchamo*, *Piſaurum*, *Fanum Fortunæ*, *Urbinum*, *Eugubium* & alia in *Flaminia* & Piceno loca, à Pipino Francorum Rege, qui in ea Longobardis eripuerat, dono accepit. Quam donationem Hadriano Carolus Magnus confirmavit eique inſuper adjeciſſe dicitur quicquid à *Luna* urbe in *Liguria*, *Corſicam*, *Surianum*, Montem *Bardonis*, *Percetum*, loca inter *Lucam* & *Parmam* ad pontem *Tremulum* pertinentia, *Parmam*, *Regium*, *Mutinam*, *Mantuam*, Montem *Silicis*, *Venetiam*, *Iſtriam*, Ducatum *Forojulienſem*, *Spoletanum*, *Beneventanum*. Sub Nicolao I. Slavi *Moravi*, *Bulgari*, *Serbi*, *Boſni*, *Croatæ*, *Dalmatæ*, à Cyrillo converſi & in Epiſcopatus diſtributi ſunt. *Moraviæ* Epiſcopatus ſedem ſuam *Veſegradi* habuit, quæ *Kunowiczam* & *Poleſſowiczam* tranſlata fuit: tandem, primo quidem *Ratiſponenſi*, inde *Pragenſi*, ſubjectus eſt. *Bulgarorum* Epiſcopi mox à Romano Patriarcha ad Conſtantinopolitanum defecerunt. Johannes XIII. vel XIV. Poloniam in Epiſcopatus, *Gneſnenſem* & *Uratiſlavienſem*, Benedictus VII. vel VIII. Hungariam in *Strigonienſem* & *Agrienſem*, ac alios, diſtinxit. Sub Eugenio III. in *Norwegia* Archiepiſcopatus *Nidroſiæ* ſive *Drunthemi* conſtitutus, cui novem ſuffraganei adjuncti, *Bergenſis*, *Stavangerenſis*, *Hamarienſis*, *Anſloenſis*, *Orcadenſis*, *Sodrenſis*, *Gronlandenſis*, *Scalholtanus* & *Holamenſis* in *Iſlandia*. Hibernia eodem tempore in quatuor Archiepiſcopatus diviſa fuit: *Armachanum* in *Ultonia*, qui *Primas* Hiberniæ dictus: *Dublinenſem* in *Lagenia*, *Caſſilienſem* in *Methia*, *Tuamenſem* in *Connachtia*. Paulo ante illa tempora, Mathildis, potentiſſima fœmina, cujus præcipua tum per Italiam autoritas Eccleſiæ Romanæ teſtamento legavit, quicquid eſt à *Piſſia* amne, & Sancto *Quirino* agri Senenſis, uſque ad *Ceperanum*, inter *Apenninum* & mare, una cum *Ferraria*. Neque his contenti Pontifices, integra quoque regna, imo totum orbem ſuæ poteſtati ſubditum voluerunt. Sic Clemens III. poſt obitum Guilhelmi, *Siciliam* ad ſe ſpectare aſſeruit. Alii ſponte, vel metu, regna ſua Papis ſubjecerunt, quemadmodum Petrus *Aragoniam*, Johannes *Angliam* & *Hiberniam*, Mendogus *Lituaniam*. Comitatus *Veniſenus* ad Pontifices pervenit excommunicatione Raymundi Comitis *Toloſæ* & *Veniſæ*, propter Albigenſium defenſionem ab ipſo ſuſceptam. Poſtea Clemens VI. Comitatum & urbem *Avenionenſem*, à Johanna Regina Neapolis emit. Frequentiſſima etiam ſchiſmata inter Papas fuerunt, unde Pontificum alii *Ravennæ*, alii *Avenione* (quæ altera quaſi Roma in diuturno illo ſchiſmate erat) alii *Bononiæ* vel *Arimini*, quidam etiam in exigua inſula, vel rupe, *Peniſcola*, quæ ad Aragoniam ſpectat, ſedem poſuerunt. Non nunc in enumerandis omnibus Italiæ, Germaniæ, Galliæ, Hiſpaniæ, Britanniæ, Epiſcopatibus immorari licet: qui quam plurimi ſunt, neque etiam, quanta fides per orbem incrementa & antiquis, & noſtro tempore, habuerit. Id alias & ex profeſſo, fiet. Reſtat ut JUDÆORUM & ARABUM Muhammedanorum Geographiam paucis examinemus. JUDÆI, ſicut in omni antiquitate & Hiſtoriis pueriliter inepti ac ridiculi ſunt, ita Geographiam quoque ſuis nugis, turpiſſime contaminarunt, quod vel ex ſolo Benjamini Tudelenſis Itinerario liquet. Omnes orbis nationes in tria genera diſtribuunt, EDOM, ISMAEL & ISRAEL. *Edom* vocant quotquot Jeſum profitentur Meſſiam eſſe, id eſt omnes Chriſtianos, & ſpecialiter Romanos. Quare, quæcumque DEUS olim *Edomæis* minatus eſt, ea in Chriſtianis complementum tandem habitura ſperant, atque avide exſpectant. *Iſmael* ipſis omnes Muhammedani, *Arabes*, *Turcæ*, *Tartari*, & quicunque fidem Muhammedæ ſectantur. Se autem volunt eſſe *Iſrael* & *Hebræos*. Præterea gentiles omneſque Chriſtianos appellant *Goym* & *Cuthæos*, quod nomen ſtrictius interdum accipiunt, ut *Cutheus*, medius ſit inter Judæum & gentilem. Regnum Franciæ *Tzarphat*, Hiſpaniam *Sepharad*, ex prava interpretatione commatis penultimi Obadiæ vocant. Mirum vero eſt, quanta ſoliditate, decem tribus ſuas, in ultimis terris & obſcuriſſimis inveſtigent. Eldad Danita eas in *Arabia* collocat, ita ut *Dan*, *Naphtalim*, *Gad*, *Aſcher*, habitent in antiqua *Havila*: *Zebulun* & *Ruben*, in montibus *Pharanis*, ab urbe *Ægina* uſque ad *Euphratem*. Sed nugator Benjamin tribum *Ruben*, *Gad* & dimidiam *Manaſſis*, ad *Cebarem*, maximam civitatem, ſupra Babyloniam, locat, ubi magnas munitaſque civitates condidiſſe vult, & cum omnibus regnis bella gerere, nec ad eos accedere poſſe quenquam, propter deſerta, & ſolitudines, octodecim dierum. Denique paſſim ad fluvium *Gozan* in *Turkeſtana* & *Tartaria*, crepat ſuorum Iſraëlitarum regna, immenſas civitates, vaſtam potentiam. Ne vero quiſquam illas terras adire queat, obſtat flumen *Gozan* vel *Sabbathicum*, tanti miraculi, ut nec egredi ipſis Iſraëlitis liceat. Alii *Judæos* longe verſus Orientem borealem, ſive ortum æſtivum removent, neque flumine, ſed montibus clauſos volunt, in *Scythia* extra *Imaum*. Fuit etiam nuper impoſtor quidam, qui eaſdem decem tribus, in *America* auſtrali, ultra *Andes* Peruviæ, & in aurea, ut conjicere licet, *Guiana*, magnifice

regnare jactavit. Sed omissis nugamentis illorum hominum, testatur Riccius, in *Sinis* esse Synagogas aliquot *Israëlitarum*, qui ignorent nomen *Judæorum*. Eos videri decem tribuum reliquias. Habere legem Mosis Hebraici sine punctis, quod exemplar antiquitatem sexcentorum annorum superet. Atque hi sunt illi late regnantes in Oriente Israëlitæ, quos tandem, velut carcere saxeo, vel flumineo, solutos, sperant Palæstinam, Messia Duce, recuperaturos. Nihil præterea Judæorum recentiorum Geographia memoria dignum complectitur, & fabulæ, ac locorum turpissima confusio, imperitia, neglectus, si quem delectant, is in Benjamini & Eldadi Danitæ Itinerariis, compendium earum mercium, reperiet. Restat GEOGRAPHIA ARABUM, de quorum antiquissimis urbibus, Provinciis, nationibusque, pauca innotuerunt ante Muhammedem, nisi quæ nuper, Vir diligentissimus Edoardus Pocock publici juris fecit, & ante ipsum Bataviæ decus Jacobus Golius. *Arabes* in universum censentur duplices, *genuini*, à Jarab filio Cahtan & *adscititii*, aliunde, sive ab Ismaële, sive aliis, orti. Illorum regio *Iemen*, quæ eadem ferè cum Arabia Felici, horum *Negsd*, *Iemama*, *Higiaz*, *Bahrein*, & in universum *Arabia* Deserta ac *Petræa*. Quare *Arabia* strictè & propriè sumta, non est nisi *Iemen*, sive Felix, late autem, complectitur quicquid ab *Euphrate* ad *Palæstinam*, inter duo maria, *Indicum* & *Erythræum*, terrarum jacet. Unde Arabes, *Petrææ* partem, *Ægypto*, partem *Syriæ*, eidemque *Desertam*, adscribunt. Antiquissimum regnum fuit *Iemenense*. Quartus Regum illorum, Abdschems cognomine Saba, urbem *Mareb*, sive *Saba*, condidisse dicitur. Ejus successor fuit Hamyar, unde *Iemen* dicta *Hamyar*, & populus *Hamyarenses*. Decimus octavus Ifricus, quem Leo Afer commemorat, ab Assyriorum Rege, regno pulsum, cum toto exercitu *Nilum* trajecisse, & vicina *Karthagini* loca occupasse, unde *Africæ* nomen fluxerit, quod Græci & Latini ad totam illam peninsulam, quæ tertiam orbis partem constituit, extenderunt, Quanquam alii à *faraka*, quod est *divisit*, dictam velint, cum ab *Europa* mari mediterraneo, ab *Asia* Nilo separetur. Vigesimum secundum locum inter Reges, & inter Tobbaas, sive Imperatores, septimum, obtinet Balkis, quam volunt esse illam *Sabæ* sive *Austri* Reginam, quæ fama Salomonis excita, ejus videndi studio, *Hierosolymam* venit. Certe palatii ejus rudera hodieque in urbe *Mareb* ostenduntur. Id susque deque habentes *Abyssini*, illam sibi, nomine Nicaules, sive Nicannæ, vindicare conantur. Sed Arabum causa potior, pro quibus non tantum *Sabæ* nomen facit, verum etiam, quod ipsorum regio, auri, thuris, ac gemmarum, feracissima: cum Æthiopia inops ferè, & aromatum sterilis sit. Decimus Septimus Tobbaa Abu Carb, cum Jamanensibus Judaismum amplexus est, circa A. Ch. Io. cujus successor Du Nawas, sive ut eum Procopius vocat, Dunaas Judæus, Rex *Homeritarum*, cum Christianos infensè persequeretur, Negashi, id est Imperatoris *Æthiopiam*, qui Christianus erat, arma in se concitavit, & ab eo everſus est. Ex quo patet, quos Procopius *Homeritas* vocat, esse illos qui *Iamanem* sive *Abrahiam* Felicem tenebant, *Hamyarenses* sive *Hamyaritas*. Ille vero Æthiops, qui Jamana potitus, apud Photium Codice III. Elesbaas, Procopio Hellistanus Rex *Auxumitarum* vocatur. *Auxumis* autem Æthiopum Metropolis, ut jam supra dictum. Atque hinc illa Judæorum, delatissimis regnis suis, orta jactantia; quia unus vel alter *Hamyaritarum* Tobbaûm, quorum magna sane potentia fuit, ipsorum sectam amplexus, contra Christianos bella gessit. Sed illud Judaicum in Arabia Imperium, mox ad Æthiopes translatum, quorum Negash Asham, præfectum in *Iamana* constituit Abrahah Al Ashram, famosum illum Sahebel fil, sive Dominum Elephanti, de quo tot Arabum fabulæ. Deinde Magnus Anuscherwan Persarum Rex, pulsis Arabia Æthiopibus, *Hamyarenses* in regnum restituit, quod non diu ante Muhammedis tempora factum. Antiquissimum etiam regnum *Higiaz*, cujus Reges Jorhamidæ dicti, à Jorhamo, fratre Jaarebi, Arabum conditoris, à quo duodecimus recensetur Modad, Ismaëli coætaneus, qui ejus filiam uxorem duxisse perhibetur. *Ismaëlitæ* autem, aucti numero & viribus, Jorhamidas regno & regione pepulerunt, quorum reliquias tandem penitus aquarum eluvione delatas, tradunt. Et huc fortasse pertinet antiqua illa Arabum, de tribubus *Aad* & *Tamud*, narratio, quas, propter flagitia, tempestatibus excisas, Alcoranus, Surata Aaraf, & Hecaf, sive de arenarum tumulis, commemorat. Quo tempore ea calamitas acciderit, non constat. Sane Diodorus Siculus de Thamudenis tanquam adhuc suo ævo exstantibus loquitur: Τούτων μὲν ἔν τῷ περίλιον ἔχουσιν Ἄραβες, οἱ καλούμενοι Θαμυδηνοί. Ἐκδέχονται δ' τὸν περίλιον ἀπέχει δὲ τῆς ἄμμου κατὰ τὸ μῆκος ἡμέρας τὸ πλατὸς, μέλαινες τὴν χρόαν καθεστῶσαι. Quæ verba illam Alcorani Souratam, cui à cumulis arenarum nomen Hecaf, illustrant, quia illa ora nigris arenis, iisque altissimis, longe lateque obruta est, sub quibus Thamudenos & Aadenos sepultos, credebant. Dicit enim Muhammed ipsos exstirpatos turbine. Ac notum est, maria quasi arenosa in illis regionibus, maximè interiori Africa, & in vastissima solitudine Segestanorum reperiri, quæ vel levi aliquo vento, non secus atque Oceanus, fluctus tollunt & obvia quæque obruunt, quod Cambysis exercitui, inter *Oasin* & *Ammonios*, contigisse. Herodotus narrat. Tempore Seleuci Nicatoris originem sumsit celebre Arabum regnum in *Hira*, vicinum *Kufæ* in Babylonia, cujus Reges magna cum *Amalekitis*, Mesopotamiam obtinentibus, bella gesserunt. Quippe *Amalikitas* Israëlitæ, pe-

tæ, penitus, vel exſciderunt, vel antiqua patria, in Meſopotamiam, ac ſolitudines Syriæ pepulerunt, ubi hodieque magnum *Amalekitarum* nomen ac potentia, quod Golium, qui inter eos verſatus, non ſemel retuliſſe memini. Cum verò Seleucidarum, ſive ut Arabes loquuntur, Salihenſium, inteſtinis concuſſa diſſidiis, potentia fatiſceret, Arabum *Gaſſaniorum* regnum emerſit, qui ſub Aretis ſuis, quod frequens Regum nomen, non tamen omnium commune φυλάρχων erat, ut Scaliger arbitratur, magnas in Cœle Syria, circa Damaſcum, res geſſerunt. Erant & *Cendæ* ac *Maadenis* tribus celebres, quas Photius *Chindinos* ac *Maadenos* vocat. Unde error authoris Hiſtoriæ Miſcellæ detegitur, qui refert, Juſtinum Imp. legatum per Nilum fluvium & mare Indicum miſiſſe ad Aretham Regem Æthiopum, ſocietatem cum eo contra Perſas initurum. Non enim Arethæ dicti *Æthiopum* Reges ſed *Arabum*, nec illorum, ſed horum, qui Perſis proximi, opus auxilio habebat. Non tamen in eo plane errat, quod *Arabes* quoque *Æthiopes* vocat. Duplex enim *Æthiopia* antiquis fuit, una ſub Ægypto *Africana*, altera *Arabica*, quam diſtinctionem Herodotus, in Xerxis exercitu deſcribendo, obſervat. Ita *Suſiana*, Hebræis *Chus* & *Chut*, unde *Chutæi* Samaritani, Perſis *Chuſeſtan*, priſca illa *Æthiopia* eſt, cujus pars *Havila*, in quam veniſſe *Amalekitæ* videntur, cum eos Saul à *Sur* uſque *Havila* percuſſiſſet, ſicut legimus primo libro Samuelis capitulo decimo quinto. Cæterum *Saracenorum* nomen, aliquot ante Muhammedem ſeculis, univerſas Arabum tribus maximè *Scenitas* complectebatur. Quod, non à Sara derivatum, quaſi ſervilem Hagaræ ventrem dedignati Iſmaëlitæ, maluerint Dominæ propago videri: neque à *Saraka*, quod latrocinari ſignificat, ſed à *Scherk* ſive Oriente. Idem igitur *Saracenus*, quod *Orientalis*, ſicut in Sacris בני קדם appellantur. Diſtinguebant enim orbem, Hebræorum more, ſecundum plagas cœli. Hinc Syria ab ipſis dicta *Scham*, id eſt ſiniſtra, Arabia *Iemen*, id eſt dextra, quod illa in Septentrionem, hæc Auſtrum, porrecta eſſet. Nam Septentrio ipſis ſiniſtram, Auſter dextram denotat. Eadem ratione *Africam* appellavêre *Magareb*, id eſt Occidentem, ac mare Atlanticum *Bahhr elmagareb*, cujus reſpectu Arabia erat *Orientalis*, unde ex *Scherkyon* dicta, ac natio *Saraceni*. Fuerunt quidem omni tempore λῃστρικοὶ καὶ νομαδικοὶ *Arabes* Scenitæ, quos hodie *Beduinos* vocant, ut jure dici potuerint *Saraceni*, à prædando: ſed cum ea voce ipſi quoque utantur, ſitque Arabica, non eſt credibile, vel ab exteris ita appellatos, vel ipſos ſua flagitia ac rapinas, etiam nomine profiteri voluiſſe. Obſcuram hactenus, ac deſpectam Arabum conditionem, ad ſummum potentiæ ac gloriæ faſtigium, MUHAMMED Pleudopropheta & impoſtor callidiſſimus, provexit. Qui natus *Iathribæ* in *Higiaza*, à *Coreiſchitis* Idololatris *Mecca* pulſus, XIV. Julii A. Ch. IↃ. CC. XXII. *Iathribam*, cujus impoſterum nomen *Taiba* & *Medinatalnabi*, fugit. Hinc, velut ex arce belli, *Arabiam* pene omnem, expugnatis *Watiba*, *Selalima*, *Badra*, *Mecca*, *Dauma*, *Eila*, *Tayfa*, ſubjugavit, ac novum hoc regnum, in ſeptem præfecturas diviſit, *Meccanam*, *Bahrainam*, *Tayfæ*, *Sanaæ*, *Gienedæ*, *Iemen*, *Giuſreiæ*. Falſum autem, quod Rodericus Toletanus tradit, *Damaſcum* quoque à Muhammede captam. Sepultus eſt, non, ut vulgo creditur, *Meccæ*, ſed *Medinæ*. Omitto nunc, quæ de ferreo loculo & magnete tradunt; ſunt enim pluſquam anilia, & dudum à Vartomanno rejecta. Succeſſores ejus CHALIFÆ, Imperium ampliſſimum condiderunt. Quippe Abubeker, *Iracam*, *Sawadæ* pagos *Anbarum*, *Anuljamanum* & *Baſram* ſubegit. Latini tradunt, Legiones Saracenorum, propter convitium, Heraclio infenſas, ad hunc, *Gaza*, & *Sinæ* clauſtris occupatis, tranſiiſſe. *Irac* veterem Babyloniam propriè complectitur & regionem mari vel fluvio vicinam denotat, unde & urbs ארך, à Nimrodo condita, Ptolemæo Ἀρέκκα. Quod vero Magnus Salmaſius, diverſas fuiſſe ארך & *Iracam* vult, argumento literarum quarundam, in quibus varietas, id minus firmum videtur. Notum enim eſt, quanta licentia, Orientales, literas, ejuſdem imprimis organi, varient ac transmutent, quod imprimis in propriis & locorum nominibus, frequens. Præcipuæ in *Iraca* urbes, *Cufa*, ſic dicta à rotunditate vel mœnium, vel montis, qui mediam occupat, ſita ad ramum *Euphratis*, cui ab *Iſa*, filio Alis, nomen, & *Baſra*, in faucibus ſinus Perſici, quæ duæ urbes peculiariter *Irakeini*, id eſt duæ *Iracæ*, appellantur, illa quidem, quia Arabibus vicina. *Irac* Arab, hæc, quia Perſis, *Irac elatzem*, ſive Barbarorum. *Atzem* enim appellant omnes populos, quorum linguam non intelligunt, non tantum *Perſas*, ut quidam arbitrantur, verum etiam *Ægyptios*, & quoſcunque ſibi Barbaros, quanquam κατ' ἐξοχὴν, & plerumque, ſolis *Perſis*, tribuatur. Omar *Damaſcum*, *Emiſſam*, *Kinſarinam*, *Hieroſolymam* (quæ *Beithelmukaddes*, domus ſanctificata) *Palæſtinam*, *Medainam* Coſrois regiam, *Syriam* ſive *Scham*, *Miſram* Ægypti & *Alexandriam*, *Barcam*, *Tripolim*, *Mauſilam*, *Meſopotamiam Amidam*, *Iſtachram*, *Iſahan*, *Aderbeitzan*, *Ainwerdam*, *Harran*, *Ruham*, *Racam*, *Naſibin*, *Ahwaz*, *Schiraz*, & magnam *Choraſanæ* partem: Othman *Biram*, *Hamadanam*, *Africam*, *Cyprum*, *Rhodum* & in *Choraſana Niſabur*, *Horat*, *Buſengiam*, *Tuſam*, *Abrimam*, *Marwarrudam*, *Talacan*, *Tochariſtan*, *Sarachſam*, & alias ſubegit. Contigit tum famoſa illa *Arabum* in *Africam* migratio, quorum LXXX. CIↃ. in *Numidiam* & *Libyam*, ſtructa *Kairowana*, venerunt eaſque regiones *Barbariam*, propter deſerta, & inconditum Numidarum ſermonem, appellarunt. Specialius Numidia *Biledulgerid*, id eſt Dactylifera, *Libya*, à deſertis, *Sarra* vocata. Sedes Califarum *Kufa*, *Hieroſolyma*, *Medina*, & *Damaſcus* fuerunt, quæ etiam

Scham, totius Syriæ nomine, dicta. Cum vero Muhavias, expugnatis in Africa *Carano*, *Caſtilia*, *Caphſa*, in Aſia Minore *Armoria* Phrygiæ, *Lydia*, *Cilicia*, *Cyzico*, in Sicilia *Syracuſis*, ipſam *Conſtantinopolin* oppugnaret, Conſtantius Imp. apertis, quas Alexander occluſiſſe dicitur, *Caucaſi* pylis, *Mardaitas*, ferociſſimam gentem, contra *Saracenos*, evocavit, qui à *Tauro* ad *Libanum* uſque, ſpeculas montium occuparunt. Sub Jezido, quicquid in *Choraſana* reſtabat, & inſuper ultra *Oxum*, ſive *Sihun*, *Choworaſmia*, *Bochara*, *Samarcanda* domitæ, atque ita fluvio *Tzihun* ſive *Iaxarte*, terminatum in Septentrione, verſus Orientem, Mulammedanorum fuit Imperium. Quod ſub Walide factum, qui omnium latiſſimè Muſlimorum potentiam extendit. Sicut enim in Oriente omnibus regionibus, inter *Oxum* & *Iaxartem*, potitus fuit quæ uno nomine *Mawara nahhr*, id eſt Trans *Oxiana* appellantur, cum urbibus *Fargana*, *Bagraſa*, *Turkeſtanæ* metropoli, *Choraſmia*, *Samarcanda*, & in Indiæ finibus *Sindia*: ſic in Occidente omnem *Africæ* maritimæ oram, utramque *Mauritaniam*, ad *Nigrum* uſque, & totam *Hiſpaniam*, ad Pyrenæos montes, domuit. Neque latius poſtea, ſi pauca quædam loca excipias, Saracenum Imperium propagatum fuit, ſed ſub Walid ſummum obtinuit faſtigium; inde paulatim iterum deficere ac collabi cœpit. Ejus ſucceſſor Suleiman, *Tabriſtanam* & *Tzirtzan* ſive Hyrcaniam, quæ Provinciæ ſolæ in Perſia reſtabant, urbemque *Sacalibam*, adjecit. Conabantur quidem Saraceni ex *Hiſpania* in *Gallias*, atque inde reliquam Europam tranſire, jamque *Arelato*, *Nemauſo*, *Montepeſſulano*, *Avenione*, & *Burdegala*, potiti, *Bleſas*, *Angoliſmam*, *Turones*, cum templo Martini, everterant: ſed horribili cæde à Carolo Martello repreſſi, impoſterum Hiſpaniâ ſe continuerunt: *Gallia* tamen *Gothica*, cum *Narbona*, aliquandiu in poteſtate ipſorum manſit. Secundus Abbaſidarum Abugiafar Almanſor, famoſiſſimam illam, & totius Saraceni Imperii poſtea, multis ſeculis, caput, ad confluentem Euphratis & Tigris, ex Seleuciæ ruderibus fundavit, *Medinato-ſhalam*, quam incolæ peculiari nomine BAGDAD, ab amœnitate, appellarunt. Baga enim Perſis ſunt Paradiſi, & tempe, ſive floridi horti. Cumque ibi eremita quidam Dad hortum coleret, locus *Bagdad*, id eſt Dadi hortus, vulgo dictus. Dividebatur, Tigri interfluente, in *Occidentalem*, quæ *Medina Manſor*, Civitas Manſoris, & *Orientalem*, quæ *Asker Mahdi*, Caſtra Mahdis, poſtmodum etiam *Ruſafa*. Europæi corrupte, *Baldach* vel *Babylonem* vocant. Non enim eadem cum *Babylone*, aut *Cteſiphonte*, ſed nec procul ab iis: *Babel* enim, pagus Bagdado borealior eſt, ubi magnæ *Babylonis* rudus hodieque, ſub arenarum montibus, conſpicitur. Eodem tempore, emergentibus tribus aliis Califis, dilaceratum fuit vaſtum illud Imperium in quatuor Califatus. Nam familia Aglab, quam Leo Afer *Lhabus*, alii *Halbi* vocant, Africam & Siciliam invaſit, ſede Pontificatus *Kairawani* poſita. Atque hi ſunt illi Saraceni, qui tot cladibus *Italiam* & omnes maris Mediterranei Inſulas, afflixerunt. Hanc exceperunt Fatimidæ, quorum Princeps Abdalla Abu Muhamed, cognomine Mahadi, *Segelmeſſæ*, vel ut alii volunt, in *Iraca* natus, pulſis poſteris Aglabi, Califatum *Kairawanenſem* occupavit, ac urbem *Mahadiam*, haud procul Tuneto, ſtruxit. Mox *Africani* defecerunt, unde regna *Bugiæ* & *Tuneti*, nata ſunt. Quartus Fatimidarum Abutaminus Muazzus, Ægyptum, per Gheuharem *Dalmatam*, occupavit, ac regiam urbem apud Memphim, ALCAHIRAM *Muazzicam*, ſtruxit, quæ quod ſtructa eſſet in horoſcopo Martis, qui cogit orbem, inde *Coactrix* appellata fuit. Cum vero *Africani* denuo defeciſſent, Muazzus, id quod hactenus ſemper impeditum fuerat, *Arabibus* Nilum trajicere permiſit, quorum quinquaginta millia, cum innumerabili pecudum fœminarumque multitudine, omnem *Africam* inundarunt, & *Tripoli*, *Cairowana*, aliiſque urbibus, potiti ſunt, donec à Joſepho, filio Teſſefin, inde pellerentur. Secundum Mauritaniæ CHALIFATUM excitavit Idris, cujus regia in monte *Zaron* fuit. Nam *Fezzam* filius ipſius Idris II. ſtruxit, quam Saraceni *aulam Occidentalem* vocant. Hujus filius Muhammed alteram cis flumen *Feſſam* & *Baſram* condidit. Tertius CHALIFATUS in *Hiſpania* fuit, quam Arabes, retento, quod Vandali impoſuerant, nomine, *Andaluziam* indigitant. Et quoniam Muavia, ex Ommiæ poſteris, ejus conditor erat, hinc *Mauri* Hiſpanienſes, à Latinis, etiam *Moabitæ* vocati, quod ex Calixti II. Pontif. Rom. literis apud Marianam patet, ubi cum loqueretur de Saracenorum in Hiſpaniis dominatu, *irruentibus* inquit *Mauris ſeu Moabitis*. Niſi tamen *Almoravidos*, de quibus mox, intelligat. Sedes ipſis *Corduba*, donec circa A. Ch. c Io. xxx. extinctis in Hiſchjame Ommiadis, ſingularum pene urbium præfecti, Regium nomen raperent. Inde tot in Hiſpania regna, ex quibus præcipua *Saragoſſæ*, *Balaqueris*, *Montionis*, *Barbaſtri*, *Fragæ*, *Albarracini*, *Dianii*, *Tudelæ*, *Majoricæ*, *Oſcæ*, *Toleti*, *Murciæ*, *Almeriæ*, *Pacis* Auguſtæ, *Portugalliæ*, *Sevillæ*, *Cordubæ*, *Ilerdæ*, *Granadæ*, quod ultimum tandem, cæteris extinctis, ſolum ſuperfuit. In hac Muhammedici Imperii, in quatuor, & ſubinde quinque Califatus, diſtractione, quam plurima regna alia, paſſim emerſerunt. Quippe *Ægyptum* & *Syriam*, Ahmed filius Tulunis, *Sechiſtan*, *Choraſan*, *Kirman* & *Farſiam*, Jacub filius Leys, alii *Tabriſtanam*, *Tzirtzanam*, *Mawaranachram*, invaſerunt. Tum maxima à *Rihis*, *Dailamis*, *Caramitis*, latrocinia exercebantur. Inde *Mayafurikinæ*, *Diarbecræ*, *Halebi*, *Dairrebiæ*, *Amidæ*, *Muſulæ*, *Bagdadi*, *Waceti*, *Baſræ*, *Iracæ*, *Kirmanis*, *Hamadanæ*, *Dainawaræ*, *Rei*, *Isfahanæ*, *Tabriſtanæ*, *Kilani*, *Harmuzi*, *Siciliæ*, *Sardiniæ*, & *Candiæ* Regna, memorantur. Quæ enim olim *Creta* fuit, eam Arabes Hiſpani *Candiam* nominarunt,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8603, [32] - 26 PUBLIC DOMAIN

runt, cum copiis ad promuntorium, quod exinde *Carax* dictum, expositis, urbem in commodissimo loco *Candaces*, suasu Monachi, *Candiam* struxissent, unde in totam Insulam Imperium nomenque propagatum. Quæ autem *Assassinorum* origo fuerit, quorum circa hæc tempora celebre nomen, non adeo clarum est. Nolo nunc repetere, quæ Ludovicus Marmoreus tradit, qui ab *Assascenis*, populo inter *Indum* & *Cophen*, quorum Arrianus meminit, eos dictos putat. Quod proculdubio falsum est. Id ex Elmacino colligitur, *Charisæos* sive *Batynæos* fuisse, qui tandem in *Syria* & *Arabia* A. Ch. c Io x c. invaluerunt, & apud *Tyrum* Phœniciæ, decem castella tenuerunt, quorum unum, in altissimo monte, *Tigadum* Marmoreo, Elmacino *Alamuth*, Paulo Veneto *Mulete*, famosum Paradiso, quo sectatores suos ad desperatam audaciam, & parricidia, inflammabant. Princeps ipsorum, corruptè à Latinis, *Senex* Montis, vel *Sesmoneius* vel *Sexmontius*, dicebatur, ita detorta voce *Scheich Alamuth*. Habebant etiam in præcipuis civitatibus, maximè *Damasci*, suos conventus, ac quia in vitam aliorum grassabantur, hinc Matthias Paris eos *cultelliferos* vocat. Hanc nefariam sectam penitus delevit Vlahkukhan Tartarus. Inter has Saracenici orbis præcipites conversiones, ruentem Muham medismum, in Occidente *Lautunii* Almoravidæ; in Oriente *Turcæ* instaurarunt, ac tot hinc inde enata regna, in unum iterum Imperii corpus, redegerunt. Nam post *Zenetos*, *Mecnasas* & *Magraoas*, Jusef Abul Tessefin, *Marrucco*, ad montem Atlantem condita, cum ejus pater *Agmetti* sedem habuisset, *Fessa* capta, & ex duplici urbe, mœnibus dirutis, una iterum facta, omnibus *Hispaniæ*, & *Numidiæ*, ac *Africæ*, etiam Nigritarum, regnis devictis. Monarcha cis & transmarinus factus est. Nam *Tunetani* & *Bugiæ* Reges ei tributarii erant; *Tremezenum* autem sive *Teteuzinum*, quanquam septennio obsessum, capere non potuit. Cum vero Abraham, ultimus Almoravidum Rex, se præ desperatione, exscopulo, apud *Oranum*, cum conjuge, in subjectum mare, præcipitasset, *Almohadæ*, Monarchia *Andaluziæ* & *Mauritaniæ* potiti, qui *Mahdiam*, sive *Africam* urbem, à Jusefo Thessefin deletam, ac postea instauratam *Siculis* eripuerunt, & *Tunetum*, *Tremezenum*, *Bugiam*, cunctaque alia *Africæ*, usque ad *Ægyptum*, regna, obtinuerunt: ita quidem, ut Jacub Almansor à *Messa* urbe regionis *Sus*, usque ad *Tripolin*, longitudine nonaginta dierum itineris, & in meridiem quindecim, potentissime dominaretur. Maximam quoque *Arabum* multitudinem secum in Occidentem duxit, & *Duccalam*, *Azgaram*, *Biledulgerid*, habitandas dedit. In *Hispania*, à *Tarifa* ad *Aragoniam*, cum bona *Castellæ* & *Portugalliæ* parte, omnia ipsi parebant, *Granada*, *Sevilia*, *Corduba*, *Valentia*, *Murcia*. Donec, victo ad *Navas* Tolosanas Muhammed Ennasir, vasta Imperii Almahadici moles, & in *Hispania*, & in *Africa*, collaberetur. Quippe Christiani *Valentiam*, *Murciam*, *Carthagenam*, *Deniam*, *Alicantum*, *Cordubam*, *Hispalin*, *Iaen*, *Vbedam*, receperunt. Reliqui Mauri, ex prælio, per sexcenta ferè passuum millia, profugi, ad montes *Andaluziæ* asperrimos, *Alpuxarras*, venerunt, ex quorum jugis altisque rupibus, ingentia saxa in Christianos devolverunt. Qui longa obsidione fessi, cum discessissent, Mauri urbem *Granadam* & totam ferè *Bæticam* occuparunt. Hæc regni *Granadensis* origo, cum Muhammed Alhamar regiam sedem *Almeriâ* eò transtulisset, quod demum A. Ch. c Io. cccc. xcii. à Ferdinando & Isabella exscindi potuit. Nec melior in *Africa* Almohadum fortuna. Quippe *Tunetum*, *Tremezenum*, *Fessa*, *Nigritæ*, & alii, certatim, Regibus creatis, defecerunt. *Nigritarum* regio in quindecim regna, *Gualatæ*, *Gineæ*, *Mellis*, *Tombuti*, *Gago*, *Guber*, *Agadum*, *Cano*, *Casenæ*, *Zegzeg*, *Zanfaræ*, *Guangaræ*, *Borni*, *Gaogæ*, *Nubiæ*, divisa fuit. Obtinuerunt etiam subinde *Tripolis*, *Bugia*, *Oranum*, *Biledulgerid*, *Kairawan*, & aliæ urbes, regiam dignitatem. Hæc in Occidente. At Orientem, primo quidem *Turcæ*, deinde *Tartari*, instar fulminis, pervaserunt. *Turcæ* triplex Imperium condiderunt, *Persicum*, *Nicænum Asiæ Minoris*, & *Syriacum*. In *Persia* Togrulbeki posteritas regnabat, tanta magnificentia, in Melicsha, ab extremis *Turcarum* oris, usque ad *Hierosolymam*, & finem *Iamanæ*, omnia dominio complecteretur. Cutlumusæi vero, totam minorem *Asiam*, à mœnibus *Constantinopolis* ad *Ciliciæ* fines, obtinebant, sede *Nicææ* Bithynorum posita; divisi deinde in Sultanatus *Guniæ* sive Iconii, *Sirras* sive Sebastiæ, *Cæsareæ*, *Amasiæ*, *Doceæ*; donec Aladine defuncto, septem illæ Dynastiæ, *Carasia*, *Sarchania*, *Aidinia*, *Germeania* sive *Kirmania*, *Mentesia*, *Omeria*, *Caramannia*, & quæ nunc vastissimum per *Europam*, *Asiam* & *Africam* Imperium exercet, Osmania, exorirentur. In Syria vero *Baalbecum*, *Roham*, & *Schirazum* Persidis, tenuit Atabeg Zingi, quem Occidentales Sanguinum vocant, cujus successor Mahmud Nuredin Melic Adel, *Syriam* pariter ac *Ægyptum* expugnavit, ac Jusefo, filio Ajobi, Salahdino, genere *Curdo*, reliquit, qui *Halebo*, *Damasco*, *Hierosolymis*, captis, nondum adultam Christianorum in *Palæstinâ* potentiam, evertit. Ejus stirpe deficiente *Turcomanni*, & deinde *Circassii Mamalucci* successerunt, donec ab *Osmannidis* exscinderentur. Deinde *Tartari*, ex remotissimo orbis, supra Sinam angulo, eruperunt. Regnabat tum in *Tenduc*, *Argon*, *Tangut*, *Tebet*, *Kitha*, *Mogol*, quidam Juhanna, sive Johannes Ung-vel Unadchan, è tribu *Carrit*, quæ Christianam, juxta Nestorianorum opiniones, profitebatur Religionem. Hic est famosus ille *Presbyter* Johannes *Asiaticus*, sive *Indicus*, de quo tot portenta Mandevilius & alii sparserunt. Sed nemo satis mirari poterat, quomodo unus idemque, & in India, & in Æthiopia, esse posset; nam

